DE GOREI WHEARI PRÆL. HIST. CAMDENIANI.

PIETAS erga BENEFACTORES

continens,

Parentationem Historicam Manibus Camdeni oblatam.

Dedicationem Imaginis Camdenianæ in Scholâ Historica.

Necnon

Epistolarum Eucharisticarum fasciculum.

OXON.

Excudebat GVILIELMVS TVRNER,
celeberrimæ Academiæ
Typographus.
M. DC. XXVIII.

Seneca de Benef. l. 2.
cap. vlt.

Benignè accipe retuliſti gratiam: non vt ſolviſſe putes, ſed vt ſecurior debeas.

Symmach. l. 9. ep. 70.

Author eſt bonorum ſequentium qui bonum relinquit exemplum.

ALMÆ MATRI
Celeberrimæ *Academiæ*
Oxonienſi,
PIETATEM ERGA
Benefactores meam
ſubmiſſè, lubens,
meritò
D.D.

Ccui-nam deberi eam magis cenſeam quàm tibi (veneranda Mater*) quâ doctrice didici? Tu* Benefactorum *tuorum memoriam perpetìm colis, nec beneficia ab ijs in te collata, aut ævi ſenio deleri, aut ingrato obrui ſilentio, aut obliuione fugitiua adimi ſinis. Tu ſempiterno jubes eſſe in honore, pariter & amore, eorum* Nomina, *qui te ſplendidiſſimis*

ornarunt ædificijs, ampliſſimis dotarunt ſtipendijs, pulcherrimiſque muneribus honeſtarunt: quibus omnibus filij tui vſque ad invidiam vtuntur ac fruuntur, æternùmq; (precor) vtantur fruanturq; ritè & rectè! Sic vt omnigenâ eruditione, pietate ſyncerâ, moribuſq; optimis abundè floreant, tuamq; famam per orbem terrarum, extremos vſque ad Indos *florere faciant. Id munificentiſſimorum iſtorum* Heröum, *per quos hîc nobis tuis filijs, (præfiſcinè dixerim) longè eſt optimè vnicum fuit votum: noſtrum id opus & labor eſſe debet: & ô vtinàm ſeriò cogitaremus omnes ac faceremus! quippè ita verè grati, verè memores, jure meritoque tecum diceremur. Meipſum quòd attinet (veneranda* Mater) *eccè! tuam ego hîc ſecutus diſciplinam & exemplum, evulgare geſtio, quibus (dum apud* Te *ſtudijs liberalioribus operandi fælix mihi contigerit otium) ſiue pupillaribus in annis, ſiue hiſce proximis obnoxius fuerim, eoſq; producere ac publicare huic orbi.*

orbi. Quo meo facto, quid si infantiam meam latius prodam? quid si nonnullis è tuis etiam filijs fratribus meis ludibrium debeam? parum id ego pensi habeâm, modò Tibi ipsi, *grandioribusq; tuis, & prudentioribus filijs pietatem meam aliqualitèr probem: modò studiosæ* Iuventuti *exemplum præbeam non ingratum aut illaudabile. Sola hæc mea ambitio: huc summis votis adspirat animus. Sed & fortassis erunt, qui privatâ hâc meâ pietate, ad benè de* Te, *deque* Repub. Musarum *vniuersâ merendum, nonnihil excitentur; qui illustrissimi* Cancellarij *nostri, singularem erga me benignitatem,* Clarissimique Camdeni *& aliorum munificentiam contemplantes, imitationis ardore accendantur. Erunt etiam fortassis, qui meo monitu tuam prædicare fælicitatem, omnia bona dicere & laudare fortunas tuas non cessarint, quæ filios taleis nunc diuos* Bodleium, Savillium, Camdenum *alioſq; extremâ hâc canitie enixa es: quæ grandæva (serpentis*

inſtar) juveneſcere, ac refloreſcere nunc magis, quàm à multis retrò ſæculis videaris. Hanc tuam fælicitatem longè cumulatiſsimam reddit, indulgentiſsimum nobiliſsimi Heröis, honoratiſsimi Cancellarij noſtri patrocinium, quale nec omnes Mercurij, nec Apollines, nec Hercules ipſe Tibi, tuiſque Muſis præſtare poſſet. Quis Te unquam magis charam ſanctamque habuit? Quis animo proniore, addo & ſollicitiore tuam vel curavit dignitatem vel commodum procuravit? quis antiquos, i. optimos mores adſertos, priſtinum artium decus reſtitutum, veræ religionis ſyncéritatem ſartam tectam eſſe deſiderio flagrantiore deſideravit? teſtetur eius in priuilegiis atque immunitatibus (quibus Te munierunt ornaruntque Reges Auguſtiſsimi) tuendis, ſumma promptitudo iuxta & conſtantia. Teſtetur ſingularis ejus cura & providentia ad faſces admittendo, nobiſque præficiendo viros probitatis, iuſtitiæ, prudentiæ famâ claros.

claros. Teſtetur denique mirus candor eius & integritas, in diſponendis Aularum *tuarum* Præfecturis, *quibus Profeſſores tuos imprimis dignatus eſt, vtpotè quos incolas & habitatores non inquilinos eſſe, tum decori tuo, tum etiam vtilitati valdè conſentaneum arbitratus eſt.* Hunc *igitur meritò ſuſpicimus veneramurque præſtantiſſimum* Μεσαγέτην. Hunc *prompto & lubenti proſequimur obſequio. Et* Tu *veneranda* Mater *hoc longùm fruere* Patrono, *huiuſque ſub tutelâ, cumulatiſſima iſthæc quam indepta es fælicitas tibi ſit propria, tibi ſit perpetua.*

Adnue, ô Deus! & propitius concede, quod ex intimo cordis adfectu vovet

Obſequentiſſimus
Academiæ Oxoni-
enſis *filius*

D. W.

PARENTATIO HISTORICA.

SIVE

COMMEMORATIO VITÆ ET MORTIS V. C. GVLIELMI CAMDENI CLARENTII, facta *Oxoniæ* in Scholâ Hiſtoricâ ſtatim à funere, Ann. 1623.

ITáne comparatum eſt in ætate hominum? ita Dijs placitum, voluptatem vt mœror comes ſemper conſequatur? ut incommodi aliquid, maliq; illicò aſſit, boni ſi quid obtigerit? vt *Plaut. Amph.*

—— * *luctus lachrymæq; ſequantur*
Vota, nec in cũctis ſervet Fortuna tenorẽ? * Manil.

Ita herclè (ſpectatiſſimi Acad.) nos omnes quotquot huc convenimus hodierno die, verò, ſeriò edocti ſumus: nos (inquam) omnes, de nobiſmet ipſis liquidó & experientèr ſcimus. Vnus vix adhuc factus eſt menſis, quod lætam, exultantem, triumphantem vidimus Academiam, quòd totum Muſarum chorum ſolennes canentem Pæanas auribus vacivis excepimus; quòd omnia templa, ſuggeſta omnia, hæc ipſa deniq; artium, ſcientiarumq; domicilia, par gaudium, pares acclamationes perſonantiâ * lubentes audiuimus. Verùm (heu!) dum nos hîc gaudij illius noſtri quandam patimur eruditatem, dum ſuaviſſimus ille Muſarum ovantium concentus auribus noſtris adhuc inſonat, ecce! fœlicitas Academica lugubri mordetur faſcino, & communis literatorum lubentia amaritudine gravi temeratur. Adeo

* *Gratulationes ob reditum principis factæ propridiè Kal. Novemb.*

Senec. Thyeſt. * *Nulla ſors longa eſt, dolor & voluptas*
Invicem cedunt---

Eam voluptatem, id gaudium, effuſam illam animorum noſtrorum lætitiam præſtitit nobis, & toti ferè Chriſtiano Orbi, fœliciſſimus auguſtiſſimi Principis reditus; hanc verò triſtitiam, hunc mœrorem, largam hanc dolendi materiam nobis

nobis antè alios oggessit nuperus viri in Rep. literariâ principis obitus. Occidit, occidit (Acad.) priscæ omnis literaturæ, ac veræ Historiæ sol lucidissimus; splendens et fulgidum, rei antiquariæ vetustatisque jubar, imis & nimium festinis tenebris obducitur. Ille, ille optimus senex *Gu. Camdenus* trisecli senis Homerici ęvo digniſſimus, confecto jam ætatis curriculo, ad plures abiit, nobisq; ingens sui desiderium reliquit. Terra Britannia lumen & decus eximium, Mater Academia Ornamentum & Benefactorem egregium, miser ego patronum & parentem charissimum, amisimus. Quod dum attentiùs mecum recolo, vobisq; omnibus satis jam notum recordor, neminem esse vestrûm opinor (Acad.) qui miretur ampliùs, quòd per aliquot septimanas Historia muta & elinguis fuerit, quòd hæc cathedra prorsus vacua, hi parietes vocem nostram priùs resonare soliti, nuper funestâ taciturnitate luctum suum meumq; aliquandiù fuerint testati: Imo quàm maximè velle subigor, vt mihi sicut vestrûm cuilibet porrò adhuc silentio indulgere concessum foret, aut saltem secedere, quò vel tempore & morâ dolorem parentis amissi decoquerem, vel

migratione aliquâ (quòd mœrẽtibus eſt familiare) curas animi diſcuterem. Quotus enim quiſq; filius eſt cui vox in parentis funere loquendo ſuppetat? cui lingua animæ ægritudinẽ enunciando ſatis eſſe poſſit? quin ſtupet citiùs mœrore primo oppreſſus, aut fixus hæret; adeò vt neq; lingua, neq; ingeniũ, neq; animus ipſe ſuo promptè defũgi officio valet. Lætitia quidem loquax res eſt atque oſtentatrix ſui, doloris autem prærogatiua præcipua, eſt ſilentium. Prætereà mihi cor molle eſt, & ad ſenſum juſti doloris in lachrymas & fletus diffundi mirum quàm procliue: nec quenquam veſtrûm latere poteſt, quantum dolori accedat incrementi, dum id quod dolemus, prędicare laboramus. Verumenimvero, mihi neceſſitas quædam incumbit, cui neque paupertini ingenij conſcientia, neque gravati pectoris vulnera, immò nec ipſum fortaſſis decorum, ſine dedecore & ignominia, facere poſſunt, vt ſecure me ſubtraham. Erigite itaque ac juvate (obſecro vos Acad.) benevolentiæ veſtræ atq; attentionis favore, anxium, infœlicem, miſerabilem, ſive Oratorẽ ſive Prælectorem veſtrum, nec difficiles ſitis ad veniam roganti concedendam, ſi quà

per

per lacrymas, si quà per suspiria & singultus interturbetur Oratio, verborumq; ordo nonnūquā pereat aut deficiat: dū liqveat vobis me pium esse, parum refert quidem haberi infacundum. Dicendum mihi est, (vti videtis) de clarissimo *Guil. Camdeno*, viro, *Quem manibus proprijs finxit cordata Minerua*, viro in tantum laudaudo, in quantum virtus & multijuga doctrina intelligi aut laudari possunt. Quod igitur *M. Cicero* de *Platonis Socrate* affirmat & de *L. Crasso* à legentibus postulat, vt *maius quiddam de ijs quam quæ scripta sunt suspicarentur*; illud ipsum de nostro *Camd.* τῷ μακαρίτῃ dicturus à vobis (Acad.) postulo, petoq;, vt quæ & quantacunque à me dicta fuerint, maius adhuc quiddam superesse arbitremini, Imprimis scitote divinas illas virtutes ejus, quarum insignibus ad miraculum vsque clarus fuit: puta fidem, pietatem, charitatem: tum humilitatem, modestiam, continentiam, temperantiam: has (inquam) scitote illibatas á me pretereundas, idque ex religione quâdam & reverentiâ, ne culpâ deteram ingenij, aut impari prædicatione, meam ipsius operam devenustem: publico potiùs Oratori, qui ornatiùs, copiosiùs,

Ὅνδ' αὐτῇ πολύμητις ἀνέπλασε χέρσιν Αθήνη

3 De *Orat.*

& pro dignitate magis, eas celebrare poteſt, relinquo. Ego Hiſtorici Epitomatoris partes tantùm agam, ſummulam nimirùm vitæ eius ab ortu incipiens, & veſtigia aliqua rerum vſque ad mortem legens, pictorijs quaſi vmbris brevi tabellà delineabo. Quòd ſi intereſſe putemus, quo cælo, ſolòq; quis naſcatur, quaue ſit ortus proſapiâ (& ſanè intereſſe plurimùm ad res magnas vbiq; autumãt docti) nos quoq; id primo loco de noſtro *Camdeno* libentèr adnotabimus. Lucis vſuram primã ei totius regni metropolis Londinium præbuit, ab vtroque elemento vrbs fœliciſſima, *Vrbs peramæna ſitu, cœloq; ſaloq; beata*: Per orbem latè clara, ob civium humanitatem, ædium nitorẽ, fœliciſſimorum ingeniorum proventum, omnium deniq; quæ ad humanæ vitæ cultum, neceſſitatemq; ſpectant, redundantem copiam. In hâc (inquam) vrbe natus eſt clariſſimus noſter *Guil. Camdenus*, Anno 1550. in vico quẽ *veterem Ballivum* nuncupant: patrem habuit *Sampſonem Camdenum* civem Londinenſem, ex ſocietate ſive Collegio pictorum, ipſum *Lichfeldiæ*, vrbi ſatis amplæ ac nitidæ in agro Staffordienſi, honeſtis etiam parentibus oriundum materunm

Camden Midleſex.

maternũ ei gẽnus ab antiqua Curwenorum equeſtri familia inter Cumbriæ nobileis admodum ſpectanda: ſed minutula ſunt iſthæc & externa, quæq; noſtra vix putamus ſeriò vocanda: quinetiam haud adeò gloriâ vacuus hic noſter, ei vt honos ex locorum, generiſue ſplendore adſciſcendus ſit: longe maiora prædicaturi ſumus, intra ipſum nata, & quæ fecerit ipſe. Eum pater à primis incunabulis rei literariæ deſtinavit, cuius prima ſemina ſub magiſtro neſcio quo, in paidotrophio illo ampliſſ: quod Ædis Chriſti Londini appellatur, imbibit: indè Scholam *Coletianam* ad *Divi Pauli* ſitam petijt, vbi præclaræ indolis puer, tãtos in literaturâ brevi fecit progreſſus, vt ipſa parẽtũ vota facillimè præverteret, omnes quibuſcunque notus in amorem ſui invitaret, pleriſq; etiam admirationi eſſet: ita rapitur ad ſui perfectionem excellens quęque natura: nec ſenſim ac lentè quò ſit evaſura oſtendit. Deinde factus adoleſcens quindecim annorum, *Athenas* noſtras *Oxonium*, ad vberiorem ingenij cultum, & humaniores diſciplinas perdiſcendas venit: vbi tirocinium primum feliciter exegit, & Logices rudimenta celerrimè depoſuit, inter

Vid. Britan. in Cumberland. p. 633.

Magdalenenſes: nec diù apud hos vltrà moratus eſt: (neſcio an ſpes adoptionis in illud ſodalitium, quam fortè nonnullam conceperat, protinùs decollaverat) quin mox tranſit ad antiquiſſimam Aularum *Lateportenſem*, vbi per duos annos & dimidium, conſtanter hæſit, quo temporis ſpacio, immane quantum ejus feſtinavit indoles, & ad maturitatem properavit ingenium! Optimis ſeſe ſtudijs totus addixit, meliorem literaturam calidè hauſit: ſub ductu & diſciplinatu viri etiam tunc temporis præclari nominis, nunc plurimùm reverendi, *Thom: Thorntoni S. Th. Doct.* & multa jam annorum luſtra cathedralis illius Eccleſiæ *Vigornienſis*, Regaliſque hujus noſtræ *Ædis Chriſti* Præbendarij. Nec minùs pietati ac religioni pubeſcentibus etiam in annis, virtutis mox eruptúræ germen hoc tumens, incubuit, quam artibus liberioribus & ſcientijs: cujus luculenta quædam extant veſtigia apud *Lateportenſes*, nimirum, benedictiones ſiue præcatiunculæ menſales, quas ipſe juevnis Latinè primũ meditatus eſt, & ad hunc vſque diem à Servientibus quotidiè ſolennitèr recitantur. Eodẽ tẽpore

pore, ſacris Muſarum ſtudijs operam navabant vnà, eiuſdem Aulæ Commenſales, *Camdenoque* noſtro perquàm amici & familiares, (ex ipſiuſmet ore accepi quod refero) honoratiſſimus nunc Dominus *Baro Carewus*, ſereniſſimo noſtro Regi IACOBO ab interioribus Conſilijs, & prænobiles *Iohannes Packingtonus*, *Stephanus Powlus*, *Edwardus Luceius*, omnes poſteà Equites aurati, alijque plures notæ pręſtantioris viri, quos vniverſos me audiente, haud longè ante mortem promptâ commemorauit memoriâ: quod ego cum in ipſius honorem qui eâ etiam etate tot ac taleis ſibi conjunctiſſimos habuit, tum præſertim in honorem chariſſimæ nutricis meæ lubēs repeto, cui tot ac taleis ſimul, optimarum diſciplinarum alitura fouendi fuerint commiſſi: adeòque gratulor tibi veneranda Aula *Lateprotenſis*, vt de cæteris ſic de hoc tuo Alumno præ multis alijs; mihimetipſi quoque haud parùm gratulor, quod ijſdem tuis vberibus quibus hic (ô ſi pari effectu & profectu dediſſet Deus!) cùm ad Academiam recens accederem, lactari contigerit. Sed non diù apud *Lateportenſes* latere potuit virtus ejus & doctrina, ita paſſim claruit & erupit

rupit flammæ ſurgẽtis inſtar, quod amicitias & familiaritates ei contraxit alibi etiam in Academia magnas & multiplices, quarum nonnullæ vſq; ad extremum vitæ decurſum perpetim viguêre. Primi enim amores è conſortio literato in primis, vti ſuaviſſimi reperiuntur ita, plerunque firmiſſime durant, nec ſanctius putavit *Quintilianus* ſacris eiſdẽ quam ſtudijs initiari. Vnam hîc inter amicitias Oxonienſes, quia antiquiſſimam & religioſiſſimè ab eo ſemper cultam noverim, indictam præterire nequeo: illam ſcilicet quæ ei tecum doctiſſime noſter *Thoma Allene Gloceſt.* in ipſâ juventute interceſsit, nec in extremo quidem tempore ætatis imò ne cum morte demùm intermiſit. Tuum nomẽ quanto cum adfectu ſemper audijt? de te quoties & quàm amantèr (vbicunque ei aderam) meipſum percontatus eſt? vt liquido perſpicere quis poſſet, ei animum ad veteris ſodalis recordationem exultare, & priſtinæ familiaritatis memoria gaudio perfũdi. Ab Aulâ *Lateportenſi*, ad Regale *Ædis Chriſti* Collegium tranſiit dicam? an raptus eſt? planè ita. Nam venerabilis *Thorntonus* ductor eius & doctor, tanto eum amore proſecutus eſt, ejuſque virtutes

tutes tam charè habuit, vt totum ſibi adſciſcere, & domeſticum quaſi aut magis peculiari modo ſuum, fieri voluerit. Siquidem ita ferè ingeniati ſumus plerique omnes, vt impenſiùs eos diligamus ac propinquius frui optemus quos operâ noſtrâ eruditiores melioreſve factos putamus aut cupimus. Sed nec intra cancellos ampliſsimi licèt hujus Collegij, vti fama noſtri *Camdèni*, ſic neque ipſe contineri potuit; per totam *Britanniam* illa brevi diffunditur, ipſe quoque mox partem ejus longè maximam oculis perluſtrat: Nimirum antiqutitatis ſtudioſus & vnice amans, † præſertim ſuæ patriæ, nihil quod ad ejus veritatem eruendam momenti aliquid habere videretur omiſit: *Britannorum* antiquiſsimorum linguam ſubſidio ſibi jam comparaverat, † gloſsaria omnia, & peritiſsimũ quemque circa eam ſedulò conſuluerat, in Græcis, Latinis, Patrijs ſcriptoribus diù multumque verſatus fuerat, nunc etiam Regionum *Britannicarum* ſitus & limites, terræ dotes & ingenium, incolarum mores & vivendi rationem inquirere, contemplari obſervitare deſiderat; atque hinc iter ejus per *Britanniam*, vt penitius ea perdiſceret, quæ totum literatorum

† *V. Reſp. ad Aristophilum ſuum quendam in calce Britanniæ, 5. editionis.*

† *V. eius Brit. in Præf.*

rum orbem aliquando docere ſecum animo ſtatuerat: ita pertinaci ſtudio pergit nolter *Camdenus* rectum virtutis & honoris iter inſiſtere, rebus pulcherrimis eruendis incumbere, omne ævum ſuo demereri. Indè magna de eo fama ad Magnates viros peruenit, imprimis ad honorantiſsimum *Guil. Cecilium, Baronem Burghlæum*, ſummum *Angliæ* tunc Quæſtorem, necnon ad reuerendum & integerrimum *Weſtmonaſt.* Eccleſiæ Decanum, D^t^ *Goodmannum*, virum, ita vt nomen ejus cluit, reapſe bonum: accerſunt, noſcunt, amant, eumq; ſibi humanitatis ac liberalitatis officijs arctiùs devincire conantur. Non longa eſt mora; præter alias dignatinoes, † aperit nobiliſſimus ille Quęſtor Bibliothecã inſtructiſsimam; optimus hic Decanus Scholam Regalem *Weſtmonaſterienſem*; Promagiſter conſtituitur, quod munus haud inexpergitè obit, aut indiligentèr colit, ſed adeò navitèr, adeó induſtriè curat per aliquam multos annos, vt venerabili decedente *Granta*, ipſe ſine ambitu ſummus Moderator illicó audiret. Adſunt niſi fallor, in hoc ſplendìdo cõceſſu, nonnulli quondam ab ejus diſciplinâ, qui meis dictis fidem facere poſſunt. Dum laborioſam

V. Epiſtolam ded 1a Edit. B.

V. præf. Annil.

laborioſam hanc ſuſtinuit provinciam, Deus bone! quæ & quanta elucubravit? Græcè, Latinè, Anglicè, eaque per horas ſubceſivas! vnicum illud & incomparabile opus ſuum mihi videte, quo *Britanniæ* noſtræ Antiquitatem, & ſuæ antiquitati *Britanniam* reſtituit, quo pulcherrumam terram (à toto Orbe diuiſam) toti terrarum Orbi conſpicuam & illuſtrem reddidit: hoc vno opere quid luculentius? quid limatius? quid accuratius, vel *Pauſanias*, vel *Strabo*, vel quivis alius veterum Geographorum dare potuit? vetuſtis induit novitatem, obſcuris lucem accendit, dubijs fidem conciliavit. Iamque vltra maria etiam (quacunque bonarum literarum penetrâſſet amor & notitia) innoteſcere & celebre fieri nomen ejus cæpit; nec quiſquam ferè peregrinus & exterus (modò doctior, & diſciplinis cultioribus inſtructior) haſce noſtras appulit oras, quin illicò de *Camdeno* inquireret, videre geſtiret, ſalutare, eius ambire notitiam, & amorem. quoties eum per Epiſtolas humanitèr & amicè compellârunt *Ortelius*, *Lipſius*, *Douza*, *Scaliger*, *Thuanus*, *Gruterus*, alij plurimi, in Repub. literariâ viri, haud ita pridem ſummates habiti? quoties reconditam

ditam eius eruditionem, alij ſcriptis ad eum paginis, alij præſentibus colloquijs explorare atq; eruere ſategerunt? quaſi bonarum artium & literarum veterum ipſe condus promus ſolus fuiſſet: ne longum faciam; exquiſitam eius doctrinam, multiplicem & variam eius cognitionem ex vnius *Pauli Merulæ* Hiſtoriarum olim Profeſſoris apud *Leidenſes* teſtimonio promptum eſt conijcere. Is in præliminari quádam Epiſtolâ ad *Q. Ennii* fragmenta, Albũ ſatis prolixũ doctiſſimorum plus quàm ſeptuaginta virorũ, qui amicitiæ fores ſibi benignè aperuiſſent in itinere ſuo per *Italliam, Gallicam, Germaniam*, &c. recenſens, in fine Catalogi addit, *Ex Germaniâ domum reverſus, per Gallias & Angliam, vbi inſtar omnium mihi fuit Guilielmus Camdenus.* Et nunc Divæ *Elizabethæ* Reginæ fœliciſſimæ memoriæ percharus fit; inſinuatione primùm magni illius *Baronis Burghlæi* Queſtoris, quẽ anteà nominavi; ſed magis poſteà ſuffragio atq; adſtipulatione, nobiliſsimi *Fulconis Grevilli* nũc *Baronis Broke*, cuius maxuma * in ſe merita ſũmo gratiſſimæ mentis candore agnovit noſter, æternaſq; loquẽs tacẽſq; gratias et egit & habuit, Sereniſſima Regina

V. Briton. in Warwick

gina præclaras hominis dotes, æquiori æſtimans judicio (erat enim mirifica innocentiæ ac virtutum ſpectatrix) cenſet, ibi debuiſſe præmia honorum longè majora eſſe, vbi tanta & tam clara fuiſſent virtutum merita: à negotioſo igitur Scholarchæ nogotio eum revocat, & († quod ne quidem ſomniavit ipſe, nec vel precibus emit) in Fecialium Collegium adſciſcit: hoc eſt, inter miniſtros Regios, quos *Heraldos* noſtrates vocitant, *Clarentiumque* (ſecundum ſcilicet e tribus illis Armorum Regibus dictis) conſtituit. Quantæ dignitatis eorum fuerit ordo, ex ipſo titulo conjecturam haud obſcuram facere licet: certe conſtat magnæ olim apud † Romanos, nec minoris fortaſſis apud nos. Hoc officio fungẽdo quàm laudabilẽ navârit operam, gratia, & æſtimatio & dignatio, quã hoc nomine etiam obtinuit longè maximam, cùm apud ſereniſſimos Principes Diuam *Elizabetham*, Regemque noſtrum *Iacobum*, tum apud proceres, & vniverſam regni nobilitatem, ſatis argumento eſſe poteſt: quod etiam abundè confirmant illa, ſive collectanea, ſive adverſaria, ſive alia lucubrationum atque obſervationum genera dicamus, quæ ipſe multo labore

† *Vid. Reſp. ad Antiphilum ſuum in calce Brit. edit. 5.*

Videre voteſtus Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 3. Coxelli noſtratis Interpretem voce Herald. & Claudii Fauchetsi Galli libellum de originе Herald. ca. 3. Blond. Rom. Triumph. l. 4.

labore & ſtudio collegit, ſcripſit, aut concinnavit, & in vſum *Heraldorum*, ſucceſſori ſuo teſtamento legavit. nimirum anguſti ſemper animi eſſe putabat, ſibiipſi ſolùm & Muſis ſuis canere; ſibiipſi ſolùm ſtudere, ſudare, vigilare: Publicè prodeſſe avebat, & poſteritati relinquere quod imputaret. Paucis demùm exactis annis, Annales rerum Anglicarum & Hibernicarum regnante *Elizabethâ* aggreditur, ſuo tempore abſolvit, ejuſque primam partem edidit; in quo opere, perfectæ Hiſtoriæ numeros omnes reperiri, haud credo quēquā eſſe qui diffitebitur, niſi judicium præjudicio obnoxium nimis habeat & occæcatum. Certè *omnia vndique ad ſcribendum ſubſidia ſibi ſedulò conquiſiuerat*, nec (qualis fuit eius candor & integritas) taceri vnquam voluit per quos profecerat in hoc præclaro opere contexendo, inter alios (quod honoris cauſa hic repeto) *longè plurimum ſe debere* agnoſcit *clariſſimo*, & annos jam multos ſibi chariſſimo *Roberto Cottono, Equiti Aurato & Baronnetto*, viro cum generis ſplendore tū omni virtute & doctrina verè nobiliſſimo, hic enim fuit *qui lumē* noſtro *Camdeno maximum de lumine accendit ſuo*; quod

quod quidem facere ſuprà alios omnes quos noſtra tulit ætas optimè potuit, vt qui *rei Hiſtoricæ et Antiquariæ lectiſſimã* omnibuſque mirandam *ſupellectilem, magnis impenſis & fælici induſtria ſibi comparaverat*. Cõtinuò poſt eius admiſſionẽ in Collegium Fecialiũ, tum vt novo huic muneri conſtantiùs inſerviret, tum vt ſtudijs etiam ſolitis liberiùs, vacaret, rem familiarẽ & modeſtas illas facultates, quibus Deus eum ditaverat, amico cuidam ſpectato & probato † concredidit, qui eas tantâ fide & curâ adminiſtravit, vt quotannis aliqua eáqne non contemnenda fieri deprehenſa eſt opum acceſſio & incrementum. Adeò vt jam ingraveſcente ætate, & vnà cum ætate divitijs, ſubijt mentem divini ſenis, *voti* illius cujus ſeipſum multos ante annos reum fecerat, ita dico, *voti*, quod in ipſo *Britanniæ* ſuæ epilogo ſeu concluſione hiſce verbis conceperat; *Nihil aliud nunc reſtat, cùm è tot cæcis Oceani vadis, & aſperis antiquitatis cautibus eluctata tandem enavigârit Oratio, quàm vt nautæ olim Neptuno vela lacera, aut tabulam votivam; ſic ego etiam aliquod Deo Opt. Max. & venerandæ Antiquitati anathema conſecrarem, quod libens meritò nũc*

† Is *fuit* Dr Heather, *regiæ Maieſtati à ſacris Symphoniis.*

voveo, & ſuo tempore Deo volente ſolvam. Soluit (Acad.) idq; liberali manu, cùm benefactionem iſtam longè munificentiſſimam quâ ego nunc vtor fruor, almæ huic Vniverſitati donavit; cùm Hiſtoriarum atque Antiquitatis Spartam illuſtratricem inſtituit, & quò perēnis foret proſpexit. Hoc ejus *anathema*, hoc votum ejus eſſe ego haud timidè interpretor. Nam cùm totum illud negotium *Heatheri* ſui diligenti induſtriâ & fideli miniſterio, ritè atque ex animi ſui ſentētiâ tranſactum vidiſſet optimus ſenex, cùmq; literas à matre Academiâ gratas gratias agentes legiſſet, ô quam lætabatur ei animus! quanto exultabat cor gaudio! & mox, divinum illud *Simeonis* Canticum, ex ejus ore audires, *Nunc dimittis Domine*, &c. Profectò (Acad.) mens ejus præſcia futuri augurata eſt, non procul abeſſe vltimum ævi terminum, ideoque rem familiarem confeſtim diſponit, ſupremæ voluntatis curas ordinat, rurique aſſiduè poſtea ſe continet, vbi ab vrbis ſtrepitu remotus, & aulæ procul moleſtijs, ſecurè ac tranquillè ſacris fidei pietatiſque exercitijs animam præparat, inq; horas & momenta de ſtatione ſuâ ab Imperatore ſummo evocationem

vocationem alacer & conſtans miles expectat: nec diù expectat; vix enim ſeſquiennium voti interjunxit ſolutionem & vitæ; ne quid fortè, poſt illud diuinum & immortale factum, faceret mortale. Ita ſanctiſſimus & beatiſſimus ſenex, annum ſeptuageſimum tertium paululùm ſupergreſſus, multis laboribus & vigilijs corpore exhauſtus, mortalitati ceſſit, & jam immottalis animus cœlo adſertus puriſſimæ ſeſe immiſcet luci; jam *Henricis* noſtris, & *Humphredis*, regibus ducibuſque, *Bodleiis*, *Savilliis*, *Sydleiis*, reliquiſque hujus Academiæ munificentiſſimis Benefactoribus, adjungitur *Camdenus*; jam cum *ſuo Chriſto, cuius ſolius meritis & ſatisfactione, ſpem omnem ſuæ ſalutis ſemper niti profeſſus eſt*, commercium habet, illumque diem quem nos hic qualicunque parentatione, vt vitæ mortalis noviſſimum deploramus, hunc æternæ felicitatis natalem glorioſæque immortalitatis auſpicem ſibi fuiſſe, exultim triumphat.

Ipſiſſima eius verba in limine teſtamenti ſui, vbi fidei rationem reddit.

Dixi.

Nuncius Chronogrammaticus, de obitu V.C. Guil. Camdeni Clarentij, *ad* Th.Cl. *Reg. Prof. in Med. Aulæ Lat. P.*

L*Atarum* Præſes *Forium* digniſſime, quali
Me nuper arbitraris ægritudine
Mactum, dum propero *Camdenum* viſere, (alumnum
Veſtræ inclytum Aulæ olim, meum clariſſimum
Seu Benefactorem appellem, charumve Patronum,)
Dicturus illud *Haue* ac *Vale* fortè vltimum?
Namque viâ in mediâ occurrit mihi nuncius iſte,
1623. CaMDenVs hIſtorIæ patronVs, heV! fVIt.
Obſtupui primò attonitus, mox flebile carmen
Erupit, atque his anxius luxi modis.

CaMDenVs fVIt! heV! patronVs ille
Noſter, hIſtorIæque lux Britannæ
Camdenus fuit? ô ſiniſtra, ſcæva,
O vox auribus execranda noſtris!
Mendax nuncius vt fuiſſet iſte!
Antiquum obtinuiſſet vtque fama!

Noſtras

Noſtras nec malé vulneraſſet aures!
Sed verax nimis eſt, nimiſque verè
Noſtras (heu mala!) vulnerauit aures.
O Parca, (immeritò vocata Parca,
Crudelis, fera, trux, ſceleſta Parca
Ne-Parca es meritiſſimò vocanda,)
Quanto cordolio me homuncionem
Enecas miſerum? ilicet, liqueſcit
Pectus; ilicet intimè liqueſcit
Imum pectoris ingemitque acerbum.
Verum ſic decet, atque ſic liqueſcat
Imum pectoris, ingematque porro
Imo pectore ab-vſq; & vſq; acerbū.
Nec ſat illud erit, fluat cerebri
Vbertim humida vis, rigetq; ocellos
Mœſtarum aſſiduo imbre lacrymarū.
Nec ſic vnus ero ſatis dolendo
Tantis Manibus: ergo quotquot eſtis
Vos qui litterulas vetuſtiores,
Priſcàſve Hiſtorias amatis, omnes
Qui Muſas colitis politiores,
Arteſque ingenuas docetis, omnes
Vos mecum in lacrymas eatis, omnes
Vos (inquam) hoc decus eligantioris
Doctrinæ, *Hiſtoriæq*; lumen ingens
Lugeatis ademptum: (ô eruditi
Collegæ mihi plurimùm colendi)
Dux *Lapworthe* chori perite noſtri,
Naturæ Sophiæque magne Myſtes:

Bainbridgîq; cate, aſtricos meatûs
Qui calles ad amuſſim, eoſque pandis:
Et tu quæ ſapis *Archimedis* artem
Virtus *Brigſia*, voſq; qui juventæ
Vel linguas Academicæ politis
Morèſve: obſecro, adeſte, adeſte prompti
Mecum plangere, nænijſque mecum
Funus exequier mei Patroni.
Huc triſtes elegos, graves Iambos,
Et modos quibus vſa ſępè Sappho eſt,
Seu lugubre aliud genus modorum
Nôſtis, aut numeros ſeveriores:
Affatim huc cumulate, ferte dignas
Camdeno, Hiſtoriæ meoque dignas
Patrono inferias. Sed heu! dolemus
Incaſſùm, querimurq; plangimuſque.
Lex olim rata ſtat, mori neceſſe eſt
Quicquid naſcitur hóc ſub orbe Lunę.
Terra hæc hoſpitiũ eſt, homo viator,
Superne eſt patria, & beatus illûc
Quiſquis appulit ocyore curſu.
Hâc tu jam frueris beatitate
Clarenti venetande, deſinamus
Ergo jam lacrimarum & ejulatus:
Et dehinc tibi, quòd novus colonus
Cœli factus es, vſque gratulemur.

FINIS.

DEDICATIO IMAGINIS CAMDENIANÆ IN SCHOLA HISTORICA.

12 *Novemb.* 1626.

Venerandi patres, Nobiliſſimi Adoleſcentes, Spectatiſſimi omnes Academici.

hIſtorIæ eCCe IVbar LVX & præCLara VetVſtæ 433
CLarentI Vs VItâ ſeneX 172
nono noVeMbrIseXIIt. 1018
1623

ta nos olim, tempore ſuo χρονογραμματιζόμενοι luſimus dicam? an veriùs luximus, ſuper viro æternùm nobis celebrando *Guilielmo Camdeno.* triennium jam totum eſt tranſactum, & quartus nunc excurrit *November*, ex

quo venerandis *Camdeni* Manibus ſolenni pietatis officio parentavimus, debitaq; juſta ei ſolvimus: neque tamen poſt id temporis, optimi viri, ſeniſque θεοφιλεσάτου, apud nos elanguit memoria, clarumve eius obſolevit nomen, quaſi vnas evndo exequias abundè noſtro defuncti eſſemus officio: ſed nec funus ideo perpetuum ducimus, aut lacrymis anniverſarijs extincti deſiderium oſtendimus, aut voce querulâ nœnias ſæpius repetimus: nam quorſum inanes revocare luctus? quorſum nihil profuturum renovare dolorem? ecquis diuturnum eſſe velit quod irritum noverit? aut curas in immenſum creſcere quas viderit caſſas? cruda adhuc calidoqne ſanguine manantia intuentes vulnera, cõpatimur miſericordes, & recens plerunque dolor promptum humanumque invenit conſolatorem: inveteratus autem ſi fiat, ſi poſt intervalla quædam longiuſcula crebriùs recurrat, deridiculo eſſe ſolet, quaſi vel planè ſimulatus vel aperte ſtultus. Prægreſſus eſt noſter *Camdenus*, quo nos omnes (quamvis haud æquis paſſibus) properamus, ejus cœleſtis anima ex hâc fœce abijt in ſublime, ex hoc carcere evolavit in ſuum cœlum.

mortalitatis

mortalitatis igitur ſolutum vinculis vlteriùs deflere, lamentis aut querelis proſequi merito deſivimus: atque immortalitatem adepto, laborum præmium nacto, palmam & coronam victoriæ conſecuto, vniverſim omnes (Acad.) gratnlati ſumus dudùm, & gratulamur jam porro, gratulabimurque deinceps, publicè, privatim in *Scholis* & in *Templis* quotieſcunque ferè, vel lectionibus hiſtoricis ſolemnioribus, vel ſacris concionibus publicis intereſſe contigerit: idque ex *Senatus Academici Conſulto* facimus, vniverſim (inquam) omnes conjunctis & votis & vocibus: dumque ita facimus, *Benefactionum* memoriam religioſè colimus, erga *Benefactores* gratatudinem oportunè ſignificamus, eorumque nomina ſuaveolentium inſtar aromatum fragrantia longè lateque per orbem terrarum propagamus. Quod ſi mea nihilominus privatim erga publicum hunc *Benefactorem* pietas, ſupra vulgi adfectum intentiùs ſeſe exerat, ſi debitum *Camdeno* honorem exhibendo, mortaleis alios omnes antevertere, aut prȩcellere ſedulo nitar, nõ eſt qd miremini Auditores quicquã, nedũ qd

vitio

vitio id mihi vertat quiſquam, quandoquidem benignitatis *Camdenianæ* fontem illum perenniter fluentem, mihi principe loco reſeratum ipſi vidiſtis, meque de cæteris quaſi ſecretum, & alijs (fors) longè dignioribus (vtinam incolumi omnium gratia!) à *Camdeno* fuiſſe prelatũ ipſi teſtes eſtis. Ecce igitur primò, tabulã iſtam votiuã, in hoc fano *Hiſtoriæ* ſacro, hodierno die, pietatis & grati animi teſtimonium, lubens meritò dedicavi: tabulam, *Camdeni* os probum, ipſumq; frontis eximiæ honorem, indiſcretâ prope ſpecie referentẽ: tabulam quæ virum, noſtrâ ætate mirabilem, ſeculis futuris diuturnè viſendũ ſuſpiciendumq; tradat: nec dubito, quin caput adeo clarũ, caput ipſi Deo hominibuſq; charum gaudentes cuncti & faventes intueamini. Nam quotuſquiſq; reperitur vel ſtupidus adeò vel ſuperbus, cui nõ pulchrũ & ſuave, oculis animoque videatur, ſimulachra & imagines virorum illuſtriũ adſpicere? habitacula illa ſiue hoſpitia quibus ſeſe divinus quiſpiam incluſerat animus (quamvis leviter adumbrata) noſcere? prætereà quorum ingenijs publice fruimur, & immortalium animorum figuras, in lucubrationibus ſuis multo doctiſſimis

ctiſſimis ad vnguem quaſi expreſſas, cum admiratione contemplamur, quid ni corporum etiam ſuorum repreſentationes & ſimulachra, cum voluptate in conſpicuo poſita ſpectemus? *delectat imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita* inquit, *Cic:* & *nullum majus fœlicitatis ſpecimen arbitratur Plinius, quam ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis.* Breviter, Natura ipſa, (ſi candidi, ſi livore vacui ſimus, ſi intùs quicquam bonæ mentis habeamus) alacritatem nobis ſuggerit & lubentiam, quoties honorem multifariâ virtute meritum varijs indicijs grate exolutum cernimus. Enim verò *benigniſſimum* appellat *M. Varronis* inventum *Plinius*, quod *voluminum ſuorum fœcunditati non nomina tantum ſeptingentorum illuſtrium virorum, ſed & aliquando imagines inſeruit: nec paſſus eſt intercidere figuras, aut vetuſtatem ævi contra homines valere. Inuentione muneris* (addit idem Plinius) *etiam Dijs invidioſus, quando immortalitatem non ſolum dedit, verum etiam in omnes terras miſit, vt præſentes eſſe vbiq; & claudi poſſent.* Nam certè quos charos in vi-

Orat pro Rab.

Lib. 35. c. 2.

Lib. 35. c. 3.

ta

tã aut etiam venerandos habvimus, licèt apud plures jam degentes, nobiſcum tamen aliquo modo præſentes opinamur, quãdiu effigies eorum, manu & arte formatas penes nos haud incurioſè aut neglectim obtineamus. Quid hic diſcipulos & clientes *Epicuri* memorem: de quibus apud *Ciceronem Plinium*q; legimus, quod vultus eius atque imagines non in tabulis modo per cubicula diſponere aut in Muſæis appendere, aut in armarijs ſcrineiſve recondere, ſed *in annulis etiam & poculis ſecum geſtare*, circumferre ac palàm oſtentare conſueverunt? Quid glorioſulos illos affectatores & inſubidos doctrinarum philoſophicarum ſimulatores quos perſtringit poeta Satyricus.

Cic. de fin. Plin. 35.

Plena omnia gypſo
Chryſippi invenias, nam perfectiſſimus horum

Iuven Sat. 2.

Quiſquis Ariſtotelem ſimilem, vel Pittaconi emit,
Et jubet Archetypos pluteum ſeruare Cleanthas.

Neque

Neque enim inter Philoſophos tantum, artiumve optimarum præceptores, eorumque ſequaces, id moris invaluiſſe credamus: verum ab ipſis Regibus, Imperatoribus, magnatibuſque viris & alijs idem factitatum, veterum tùm Græcorum tùm Romanorum monumenta vbertim teſtantur. *Alexander Severus Virgilium* Poetarum *Platonem* vocare, ejuſque imaginem cum *Ciceronis ſimulachro in ſecundo larario locare* & tantum non pro Numine habere non dubitavit. Vti *Lamprid.* in ejus vita. Quem veſtrum (Auditores) latet atria *Patriciorum Romanorum*, & primas ædium parteis imaginibus majorum ſuorum refertas olim fuiſſe?

Plin. l. 4. ep. 28.
Senec. l. 1. de Tranſ. c. 90
Suet. Tiber. c. 70.
Senec. de Ben l. 3. c. 28.
Iuvm. ſat. 9.

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.

Vt eſſent (inquit *Plin.* loco ſupra citato) *quæ comitarentur gentilitia funera*; vt eſſent vnde poſteri familiarum nobilitatem & antiquitatem dignoſcerent: denique vt eorum virtutes poſteri non legerent ſolùm, ſed etiam in exẽpla traherent atq; imitarentur. Quin & ob vltimam hanc rationẽ, amicorum etiam ſuorũ, aliorũq; virorum, ſeu rerum geſtarum

Cic. in ver. Val. M. l. 5. c. 8.
Polyb. l. 6.

geſtarum fama clarorum, ſeu diſciplinarum ſcientiarumque præcellentia nobilium, repræſentationes pictas ac imagines, ſummo ſtudio adſervare, magnoque in pretio habere ſolebant. *Quidni ego* (inquit *Seneca*) *magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & nataleis celebrem?* ita hercle eſt (Audit.) incitamenta animi ſunt hujuſmodi imagines, quæ *Miltiadis Trophæi* inſtar habent, quod *Themiſtocli* ſomnum eripuit. *Quis enim eſt quem impetus ad laudem non capiat* (agnoſcite *Polybii* verba) *cum imagines virorum quos ſua virtus fecit inſigneis, velut viuas omnes ſpectet ac ſpiranteis?* meminiſtis quid *Salluſtius* ad hanc mentem valdè appoſitè narrat ſub initio *Iugurthini? Sæpè* (inquit) *audiui Q. Maximum, P. Scipionem, præterea ciuitatis noſtræ præclaros viros ſolitas ita dicere: cum maiorum imagines intuerentur vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi. ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam in ſeſe vim habere, ſed memoriâ rerum geſtarum, eam flammam egregiis viris in pectore creſcere; neque priùs ſedari, quam virtus, eorum famam atque gloriam æquaverit.* At quid opus eſt, peregrina hûc accumulare exempla?

Senec. ep. 64.

empla? domeſticorum affatim habemus, eorumque recentium, quæ nos ipſi oculis vidimus, auribus hauſimus. Ecquis veſtrûm dubitat, quin magnificentia *Bodleiana Savillianæ* ſtimulos admoverit? quin *Savilliana Sydleianam* inflammauerit? quin *Heroum* denique iſtorum exempla, ſubſequentium *Benefactorum* animos jam calentes quaſi facibus accenderint? quoties ipſi nobiliſſimum vidimus *Savillium*, Bibliothecam *Bodleianam* animi gratiâ viſitantem, & cum ſtupore quodam, gaudioque æmulatione piâ mixto, frequentes ſtudioſorum numeros, hinc, illinc, libros verſantes bacillo nutubuſque computantem? quoties hùnc noſtrum *Clarentium*, clariſſimum *Clarentium*, hiſce auribus audiuimus heroicam *Savillii* munificentiam juſtis ſuis præconijs in cœlum extollentem? & *Muſicorum Coryphæus* ille, mihi amiciſſimus *Hetherus*, qui *Muſis Oxonienſibus* permulcendis, nuper benigniſſimè perpetuam & ſuaviſſimam inſtituit Symphoniam, apud me ſæpius, tum familiari ſermone, tum etiam per literas faſſus eſt, pietatem *Camdenianam* ſibi animo miram excitaſſe cupiditatem, aliquâ tandem benefactione matrem *Academiam*

cademiam demerendi. Sed ab inſtitutò digredior: redeo itaque, vt quod de imaginibus propoſuerim breviter conficiam. Accepiſtis (Academici) morem anticuum, eumq; apprimè vtilem, apprimè laudabilem: cujus Autorem primum indictum ſi prætermitterem, multipliciter injurius forem; antiquitati, mihimetipſi, Auditoribus meis, præſertim junioribus, quorum intereſt rerum optimarum inventores memoriter noviſſe. Audite igitur ſolertiſſimum illum naturæ juxta & antiquitatis indagatorem *Plinium* quem ſupra nominaui. *Suorum Clypeos* (hoc eſt, expreſſas thorace vultus imagines) *in ſacro vel publico, privatim dicare primus inſtituit Appius Claudius qui Conſul cum Serviliofuit, anno Vc. 259. Poſt eum M. Æmilius, Q. Luctatij in conſulatu collega, domi ſuæ poſuit.* Quid in Bibliothecis? ibi virorum perpetuitatem merentium imagines, primum poſuiſſe *Aſinium Pollionem* eminentis ingenij virum autumat ipſe *Plinius* & poſt cum *Macrobius*. Nec rationem de loco diſſimulant: videlicet *quòd immortales eorum animæ in ijſdem locis ibi loquuntur: quin imò* (inquit *Plinius*) *etiam quæ non ſunt finguntur, pariuntq;*

Lib. 35.

Plin. l. 35. *c.* 2.

Macr. li. 1; *c.* 13.

riuntque desideriâ non traditi vultus, sicut in Homero evenit. Camdeni immortalis anima hoc in loco neutiquam loquitur (Auditores) eam in *Elizabethâ* sua loquentem videte, ac in suâ *Britanniâ*, libris pondere non numero, pretio non mole æstimandis. Verum sempiterna *Camdeni* munificentia voce clarâ hîc loquitur, quæ nostris studijs languorem excussit, animam subministrauit, vigorem indidit, Historiæque vitam in omne ævum suppeditare haud incassùm spero conata est. Hanc igitur sempiternam ejus munificentiam erga *Vniversitatem*, juxta ac summam erga meipsum benignitatem, si loco secundo pro tenui meâ facultate prædicavero, neq; præter meum officium, neq; præter antiquorum consuetudinem cum imagines dedicaverint, neq; præter expectationem vestram (spectatissimi Academici) quicquam me commissurum auguror. Alias multijugas & splendissimas eius virtutes, scienti, iterùm & consulto consilio transilire lubet; tum quòd eas implẽdo nulla mihi satis est copia, tùm quód extrema foret iniuria tantarũ virtutũ coarctare famã, & dignã annalibus memoriã brevis oratiunculæ angustiis strãgulare:

accedit & alia ratio, nimirum quòd ſanctiſſimæ ejus vitæ plenas quaſi ephemeridas ornare, ſingulaque eius egregiè ſeu dicta, ſeu facta contexere, alius quis ante biennium aggreſſus eſt, qui & eum annos complurimos familiariter noviſſe fertur, & fandi potentiâ eruditioneque clarus, noſtram jejunitatem numeroſis modis facillimè antecellet. Quin & de munificentia *Camdenianâ*, quatenùs publica, quid à me narrari, quid prædicari poteſt quod voſmetipſi omnes non jamdudum probè noveritis, promptè agnoſcatis, & cum admiratione quâdam cottidiè celebretis? dicam eam amplam? perpetuam? piam? omnes vos Auditores, in aſſenſum faciles & proni, idem ipſum (ſat ſcio) mecum dicitis. Quid ſi addidero? non in gratiam, non in gloriam, non in oſtentationem, ſed in vſum juventutis *Academicæ*, in vtilitatem rei litterariæ, in bonum denique publicum vnicè proſpectantem? tantundem proculdubiò voſmetipſi animis nihil renitentibus conceditis. Quam vultis itaq; eam vltrà dicam? Vnico expediam verbo. Munificentiam verè magnificam, verè heroicam, ferè diuinam. Nam certè *nihil æquè diuinum habet homo, vt*

beneſi-

beneficentiam ex *Diui Nazianzeni* ſententiâ. Cui concinit & illud *Strabonis Geographi*. Mortales tum maximè imitantnr Deos, cum publicè ſunt benefici. Et publicè quidem benefacere conſtans erat *Camdeni* noſtri votum, publicè prodeſſe ejus aſſidua meditatio. Recolite (ſi placeat) vitæ totius rationem, ab ineunte pueritia ad obeuntem ſenectam, ab eo tempore quo in caſtris Academicis, prima confecerit ſtipẽdia, ad illum diem quo veteranus & jam miles emeritus, ab ſummo Imperatore miſſionem honorariam expectaret. Faxo paſſim videbitis luculenta ejus veſtigia, inſignia documenta. Nec repetere opus eſt, cum publicè viſenda proſtent, & omnibus ſint obvia. Sed & propter bonum publicum privatos quoque quamplurimos prolixâ benignitate ſuâ devincivit. Alios mittatis omnes, & meipſum vnum videte (*Academici*) Hiſtoriæ Profeſſorem à *Camdeno* inſtitutum, ſed in bonum juventutis publicum, publicum profeſſorem, imò audite potiùs meipſum, iam nunc liberè & publicè profitentem, quòd, (ſi quiſquam hominum, in quenquam fuerit vnquam) in me *Camdenus* fuit vere benignus, verè beneficus. At-

De cud paup. Strab. l. 10.

qui lividus non-nemo cui dolent oculi hîc oggannit: (nam liuorem nobis obſtrepere haud novum eſt) quid tu operam redundantem novas, & cunctis nota replicas? beneficum ais erga te *Camdenum?* omnes vidimus, eiuſque novimus beneficium effuſius longè fuiſſe, ſupra tuum meritum. Imó inquam liuide vidiſti nullus, nullus noviſti. quid? tu *Profeſſoris* titulum quo me honeſtauit, aut amplum iſtud ſtipendium, quod laborum meorum ſive mercedem, ſiue præmium eſſe voluit, id tu immenſum illud eſſe beneficium deputas? quo me ſibi æternum obligavit *Camdenus*? fruſtrà es liuide, fruſtrà es; & fugit te ratio. Non poteſt beneficium manu tangi, non poteſt oculis vſurpari: animo ſentitur, animo cernitur. Ab Romano ſapiente ſi neſcis, diſce: non in eo quod fit aut datur conſiſtere beneficium, ſed in ipſo dantis aut facientis animo. Ille te docebit, multum inter beneficium ipſum, & materiam beneficii intereſſe; quam ſolam, oculis felle gliſcentis inuidiæ flagrantibus, ſi tu me penes intuearis, arrige aures liuide, & beneficium ipſum accipe, quantum quantum ſit, vt animo ringaris adhuc magis, vel potiùs tibi,

rum-

rumpantur vt ilia. Vos autem ſpectatiſſimi *Academici* faventes (obteſtor) auſcultate, & ſi quam apud vos commerui gratiam, gratulamini. Nec me prohibebit pudor, dum totum nudè & ſine fuco, (prout *Hiſtoricum* decet) narravero negotium, dū omnē ambitionis meæ expedivero rationem, non me inquam pudebit, ſimul vos omnes gnaros habere, quot mecum nomina fecerim, quot pararios interpoſuerim, quos adjutores advocaverim: ne fortè in angulo, aut ad aurem tantum, remotiſque arbitris, gratum me ijs fuiſſe, quiſquam poſthac dixerit.

Cum primum clariſſimi *Camdeni* munificentiſſimum de prælecturâ *Hiſtorica* inſtituendâ propoſitum, levi rumuſculorū aurâ hûc delatum eſſet, ejuſque à *Regio* in *Medicina Profeſſore* digniſſimo, mihi factum eſſet indicium: ego ad egregium virum *Thom. Allenum* noſtrum, (quem à pluribus annorum luſtris, intimum *Camdeni* amicum fuiſſe intellexeram) illicò me contuli, eumque protinùs rogaui, vt Clariſſimo *Camdeno* per litteras meum nomen inſinuare dignaretur, ac ſimul cauſam cōmunicavi. ipſe (vt eſt ejus erga me bene-

volentia) haud gravatim annuit, positâque mora, litteras ad *Camdenum* suum dedit in hanc fermè sententiam. *Vt si nondum de certo aliquo prælectore idoneo sibi provisum esset, ratumve foret, haud iniquè ferret, dum familiarem quendam suum* (Meque nominat) *de meliore notâ commendaret; quem designato muneri non ineptum, frequenti Academicorum suffragio se præstiturum non dubitaret.* Hæc doctissimus *Allenus*, ad has literas intra octiduum respondet *Camdenus*: Deus bone! quã benignè! quã comiter? quanto cũ amore & candore! Nempe, *se de negotio adhuc meditari: cũ amicis suis consiliũ capere: rationẽq; diligenter inire quomodo, quo tempore, quibus conditionibus, commodissimùm transigi posset. verum ubi primum, maturè satis esset deliberatum, & ad decernendum de summâ rei descenderetur,* Mei nominatim *haud quaquam immemorem se futurum stipulatur: atque ita, optimum suum Allenum* (nam ita loqui amabat) *& Me una salvere iussit.* Lectis hisce literis (quas mihi actutum communicavit humanissimus *Allenus*) non aliud mihi subijt quam exclamare: O amicum pectus! ô virum

prisci

priſci & aurei illius ſæculi! quis te bonus genius tam proclivem, tam facilem & propenſum reddidit, erga me, non notum, non viſum, non merentem? haud dubie (Academici) bonus aliquis genius hunc ei animum inſpiravit: imò bonus Deus meus qui familiares anguſtias, quibus laborabam propitius reſpiciens, meiq; varijs ærumnarũ procellis jactati miſertus *Camdenũ* ſuſcitavit, cujus munificentiâ res meas miſere fractas & fere penitus collapſas repararet. verùm vt pergamus: hinc ſpẽ bonã mihi affulſiſſe videtis Acad. cujus adeo blanda erat dulcedo, vt mox oboreratur fiducia: inde ardor animi, & flagrans quoddam deſiderium literis meis compellandi *Camdenum*, & manu propriâ cultum obſequiumque ei deferendi. videlicet, novorum patientia gaudiorum oppido difficilis eſt, & inexpectatas pectoris lætitias ægrè continemus. haud longùm igitur abſtinui manum: nam (& oportune quidem) cis pauculos aliquot dies, idem doctiſſimus *Profeſſor Medicus Londinum* ituriens, ad clariſſimum *Camdenum* honoris cauſâ viſendi conſilium ceperat, quod pro antiquo eius in me amore haud me celavit: ſed & ope-

ram obtulit ſuam, (ſi quid in meam gratiam poſſet) ac præſtitit quidem fideliter: meas ei in manus deferendo literas: quas, quo vultu accepit optimus *Senex*, qua prothymia inſpexit, quibus lubentiæ indicijs pellegit, meum non eſt dicere: id tantum dicam: me non penituit omninò, eas ſcripſiſſe. & jam non de nomine tantùm, ſed de qualicunque etiam literario ſermone clariſſimo *Camdeno* innoteſcere cœpi. accedit ad eum paulò poſt, vir admodùm venerabilis, & de me optimè meritus, *Decanus Petroburgenſis*, tunc temporis Vice-cancellarius Oxon: qui hortatus ſeriò, propoſitum ſuſceptumque conſilium vt expediret ſuum; quicquid de me boni, vel ex inſinuatione amiciſſimi *Alleni*, vel ex prædicatione literatiſſimi *Profeſſoris Medici*, vel denique ex meâ ipſius officioſâ compellatione concepiſſet incomparabilis *Senex*, albo ſuo inſuper calculo, humaniter valdè ac peramanter firmavit & comprobavit. Poſtremò nobiliſſimus Cancellarius noſter, (cujus honorificæ dignationes erga me jam fuiſſent in tantum prolixæ, vt ne ad ſpem quidem vllam, eas meritis exæquandi propiùs admovere vnquam poſſem)

Dr Peirs.

Illuſtriſſ. Comes Penbrokienſis.

poſſem) hîc etiam me vlterius obligare pergit, cumulatiſsimique teſtimonij honorem vt adjiceret, per literas in meam gratiam ſcriptas, *Camdenum* affari dignatus eſt, idque teſtor Deum! meipſo prorſus inſcio. *Hos* ego προξενήτας hos pararios atque mediatores verſus *Camdenum* fœliciter domi me nactum & animo gratus agnoſco, & ore lubens profiteor. neque diffiteor tamen, alios alibi plures, mihi valdè benevolos, atque etiam beneficos in hoc ipſo negotio adſtipulatores contigiſſe: animum tamen, divini *Senis* adeò in me pronum, adfectumque ejus adeo inclinantem experti ſunt omnes, vt tum hi, tum illi, ſe magis ad teſtium fidem, quam ad petitorum ambitum præſtandum acceſſiſſe jure dicere poſſent. non diſtulit, non expectatione torſit, non difficulter aut verbis vix exeuntibus promiſit, ſed promptè atque alacri animo, liberè & vultu hilari, ſic vt ſe non velle tantum benè mihi facere, ſed vehementer etiam cupere liquido cognoſceres. De *Severo Imperatore* (quem ſuprà nominavi) memoriæ proditum eſt, quod ſi quos ſciret, vel *nihil ab eo petiſſe, vel non multum* vndè *ſumptus ſuos augerent*, vocabat eos & dicebat

Lampr. in eius vita.

dicebat, *quid eſt cur nihil petis?* an me *tibi vis fieri debitorem? pete, ne privatus de me quararis*. *Camdenus noſter* haud multum abſimilis: nunc enim crebram noſtri mentionem apud eum audire erat, crebram de nobis quæſtionem factam *quid cunctatur? quid ei in mora eſt? cur non ipſe venit?* quæ cum ad aures noſtras pernix fama pertuliſſet properè *Londinum* propero, meque munificentiſſimo *Benefactori* meo ſtatim, ſtatim futuro, haud illubenter ſiſto, Et nunc (Academici) incredibilem audite amoris promptitudinem, benignitatem ante fando non auditam, & homini vix imitabilem: aderat vna mecum eruditiſſimus *Scholarcha Weſtmonaſterienſis* mihi perquam amicus, qui ſi hîc etiam adeſſet me nil præter veritatem narrare teſtari poſſet, (imo veritatis omnis Autorem ipſum teſtor!) vix limen ædium *Camdenianarum* intraveramus, cum infit *Scholarcha*, ecce! clariſſime *Clarenti*, ecce! Eum ego ad te duco quem toties optaſti, quem dudum in animo tuo filium adoptaſti, quem videre longũ deſideraſti. Ipſe mihi manu cõtrectans & arctius premẽs, *teneone ego te*

mi

mi Vere (inquit) *& veniſti tandem? hercle gratias ago quod veniſti.* Ego, dum venerabundus hominẽ ſuſpicio, mirorq; ille abſq; aliâ verborum ambage omni, *Confide mi Tu* (inquit) *confide: anno qui nunc in curſu eſt, viginti tibi donabo libras, proxime ſequenti quadraginta accipies: tertio demum anno integrum expectato ſtipendium.* O mentis aureæ ſermonem vere bracteatum! ô de pectore ſyncere cãdido lacteam plane orationem! imo mel merum ſpirantem, aut ipſius potius nectaris alimoniam! hæc ſunt (Academici) hæc ſunt adamantina illa vincula, quibus me æternum ſibi mancipavit *Camdenus*: hîc beneficium (ſi vſquam) obſervare licet, vere immenſum, incomparabile, prorſus mirandum. quiſquamne ea quæ ſit gratuito tributurus tam facile aperit? & ſine vllo artificio tam cito promit? qniſquamne petenti, accipientique beneficium ſeſe obnoxium arbitratur? aut munificentiam ſuam ambienti prenſantique gratias agit? deberive autumat? imo ego tibi beatiſſime *Camdene*, immortaleis debui, debeo, & debiturus ſum donec ero. Audiviſtis (ſpectatiſſimi Academici) primum benigniſſimi

mi *Senis* erga me amorem. primum inquam, & tamen adultum: adultum, & tamen (quis credat?) adhuc ſemper adoleſcentem: & vel in præcipiti ſuâ ætate (mirum!) indies magis calentem: ſic vt cum vitæ vltimas obiret metas, & in viciniâ mortis proximâ jaceret, luctante adhuc animâ, neque noſtri neque ſtudiorum noſtrorum immemor anhelare videbatur: quippe Nutrice amantiſſima ad ſe vocata (ſic merito dilectiſſimam *Hetheri* noſtri vxorẽ appello, quæ diligentiſſimæ nutricis & ſolertis alũnæ partes diu circa eum preſtitiſſet) *Annulumq*; hunc aureum, digito demonſtrans, iſtũ (inquit) *annulum* cape, & chariſſimo meo *Hiſtoriarum* Prælectori, fideliter tradendũ cura; vt pignus habeat & μνημόσυνον, quo jugi teneat memoriâ quanti eum eſtimaverim, quantum dilexerim. Agnoſco (Senex μακαριώτατε) æſtimiũ pariter ac dilectionem erga me tuam: imò amorem, imò charitatem: ſine exemplo vtrumque inter mortaleis optimum maximum: agnoſco & vtrivſque Symbolum *Annulum* hunc aureum, quẽ veluti κειμήλιον quoddam, & maximi pretij theſaurum, alias domi ſollicite recondo, aut ſinu tacito diligenter cuſtodio

dio, digitoue amplexor meo; nunc autem propalàm jactare, in lucem producere, & publicè exoſculari geſtio; vt tota hæc literatorum corona, teſtes auriti oculatique juxta fiant, claræ apertæq; huius profeſſionis meæ, perinde animo atque ore factæ, me tali nexu tibi in omnem ætatem devinctum, qualem vix cogitatione quiſquam admittere, nedum ſermone exprimere vnquam valebit. Atque hîc (ſpectatiſſimi Academ.) noſtræ ineleganti, incomptæ, vereor etiam vobis jamdudum nimis moleſtæ orationi finem impoſuiſſe animus erat, niſi quòd faberrimum hoc contemplando *ſignaculum*, vnicum aliud mihi occurrit haud temerè prætereundum. Dixi modo intermorientem *Camdenum*, ne ſtudiorum quidem noſtrorum immemorem fuiſſe; & dixi meritó vultis argumentum? videte, luce hâc illuſtrius: dictum ſcilicet officij noſtri monitorium, huic *ſignaculo* quo me moriens donavit, affabrè inſculptum: *ἀμφόσω καὶ ὀπίσσω á fronte & à tergo diſpiciendum.* Nimirum Hiſtoriarum ipſe ſcriptor eximius, optimè noverat, quid ſit prælectoris hiſtorici munere & officio fungi: altiùs videlicet animum intendere, & ævi duplicis

plicis conſpectum notare, animadverte-re; alijſque animadvertendum propone-re. Illius nempè quod iam præteriit & á tergo eſt, atque huius quod præſens ad-huc fluit & in curſu viget; veritatem rerum in illo geſtarum, curioſiùs anqui-rere, dilucidé repræſentare, diligenter invicem componere: atque indè, quic-quid in vſum præſentis cedere poſſe vi-deatur, colligere; eo iuventutem inſtru-ere, munire, præparare: ad prudentiam, ad virtutem, ad omnis antiquitatis & re-rum optimarum cognitionem perduce-re, aut promovere. Agnoſco itaque vlti-mo in loco vocem *Benefactoris* præcep-tricem mei, quam gnaviter ſequi, & pro virili parte exequi, fixum ſtatutumque eſt. Tunc enim verè gratos erga *Benefa-ctores* noſtros, noſmet exhibemus, cum hoc quicquid eſt oneris muneriſve, à no-bis vel ſuſceptum vel impoſitum, ſedulò ac induſtriè expleamus. Quid à me ha-ctenùs præſtitum fuerit, aliorum eſto atbitrari (nam ego inter περιαυτολόγους cen-ſeri refugio) aliorum inquam, ſed illo-rum qui candidi, qui ſyncери, qui benig-ni auditores fuerint: ſupinos illos & oſ-citantes, ſupercilioſos & faſtidio plenos, qui cum contemptu & præjudicio au-

ſcultant,

ſcultant, quique in tranſcurſu & deſultoriè audiunt, qui denique explorabundi per feneſtras, & pro foribus aures advertunt, captantes quod carpant, quod obliquè dicterijs perſtringant; hos (inquam) omnes, tanquam nimio ſui ſuſpectu occæcatos, aut nigræ lolliginis ſucco victitantes, iniquos planè vigiliarum noſtrarum æſtimatores averſamur meritò, & deprecamur. Vos autem venerandi *Patres*, & vos etiam *Fratres* plurimùm colendi (quibus *juventutis Academicæ* cura *demandata* eſt, & à quorum imperio ac diſciplina pendet ſpes altera Reipublicæ & Eccleſiæ) obſecrandi impenſiùs eſtis, vt dum nos omni ſtudio, mente, voluntate, officia noſtra colimus, dum totis puriſque animis *Iuventuti* prodeſſe laboramus, eóque dotes ingenij omnes qualeſcunque conferimus, providere & proſpicere velitis, vt reſpondeat *Iuventus*, ne pereant labores noſtri, ne ſubſellijs iſtis vacuis aut minùs frequenter occupatis, improbos conatus noſtros diſperdere cogamur; ne denique alma mater *Academia* de neglectu filiorum ſuorum malè audiat; & fœlicitatis noſtræ æmuli,

muli, *Benefactorum* noſtrorum munificentiam, improvidè ne dicam peſſimè locatam eſſe, nimis juſtè cauſſari videantur.

Dixi.

EPISTOLARVM
EVCHARISTI-CHARVM.

FASCICVLVS.

Phalaris Epist. 70.

Προσκείσθω δὲ τῷ κατασταλεντέρῳ τῆς εὐχαριστίας, τὸ προσομολογεῖν, ἴσην ἀμοιβὴν οὐκ ἔχειν ἀποδοῦναι τὸν εὐεργετηθέντα.

Incumbat ei qui satis referre gratias non potest, confessio, quod qui beneficium accepit, parem retributionem reddere non possit.

Viro Clariſsimo

Dº Benjamini Rudierdo Equ.

Aur. Regiorum pupillorum
Superviſori, Faſciculum iſtum
Epiſtolarum Euchariſticarum
Dico Conſecroque.

Ta vt facerem (vir ornatiſſime) haud temerè mihi videor animum induxiſſe meum; quandoquidem, maximarum obligationum quibus me devinctum hiſce paginis lubens profiteor, quaſque in vulgus propalatum hîc eo, tua benignitas non conſcia modò, ſed etiam partē nō minimam conciliatrix extitit. Preterea quoties mecum reputo quam multi fuerint anni ex quo tibi

primùm debere cæperim, ob iſtam benevolentiã haud vulgarẽ, quâ me nullius meriti virũ complecti dignatus es, ſimul quam luculentis eius judicijs fiduciam meam confirmaveris: quî poſſem abſque piaculo clandulùm ea geſtare? aut non primam quamlibet occaſionem prenſare grati animi teſtificandi, ejuſq; pignus aliquod (levidenſe licet) publicis ſignatum tabulis tibi offerre? indigna (fateor) hæc prorſùs, quæ tanti judicij atque eruditionis viro porrigerentur, quæque ſub tam clari nominis auſpicio in manus aliorum darentur: ſed à tuâ humanitate dignitatem accipient, ab æſtimatione tuâ pretium & valorem apud alios. Et quanquam me non fugiat, vitilitigatorum calumnias, rigidorum naſutorumque cenſuraset irriſiones effugi non poſſe, animus tamen meus (fidentiùs loquor) non poteſt non probari, niſi à peſſimis: tibi certè quidem probabilem fore non dubito, vel eo nomine, quòd ingratitudinem

nem odio habeam, eiuſque ſuſpicionem vt à me ſegregem accurate contendam: illud vnum ſi obtineam, vltra non eſt quod expetam, præter amoris tui & benevolentiæ continuationem, cui imprimis hîc velificatus ſum. Salue vir Ornatiſſime. Dabam Oxoniæ *6. Idus Apr.* 1628.

EPISTOLARVM EVCHARISTICHARVM FASCICVLVS.

EPIST. I.

ILLVSTRISSMO ET Nobiliſsimo Domino Do Guilielmo Pembrokiæ Comiti Archicamerario Regio, Oxoni. Academiæ Cancellario Digniſſimo.

Illuſtriſſime & Nobiliſſime Comes, Cancellarie plurimùm honorande,

QVas corám viuâ voce grates agere non licuit, liceat ſtylo dicere, et Amplitudini T. paginam hanc animi devotiſſimi interpretem exhibere. Bimeſtre ferè abijt, poſtquam ego, tuis fretus auſpicijs, Ædilis cerealis munere fungor, & apud Oxonienſes tuos rem annonariam ſedulò procuro: cujus benignitatis tuæ, ſi quis me ſerum ideò putet æſtimatorem, aut minùs æquum, quod hûc vſquè tacuerim, animi fruſtrà eſt

est. Summates enim viros, publicis impeditos curis, temerè compellare summa religio esse debet. Hûc accedit, benignitatis tuæ magnitudo, quæ diù me suspensum & ancipitem habuit, quibus tandem verbis planè ac plenè gratias agere possem; ijs nullibi occurrentibus, quid ni imparem me prorsus agnoscam? facio, (Heros Amplissime) atque vltrò vnà rationes reddo. Nam cum huic provinciæ abs tuapte Amplitudine designatus fuissem, idque sine ambitu, sine omni flagitatione, valdè honorificâ insuper additâ in meam gratiam sponsione; ecquis factam rem miram putaverit, si hæc pẽsiùs cogitando, ad silentium redigar? si promptissimi favoris tui magnitudine, oppressum me concedam? deindè, vt mea excutiantur merita; quam tenuia? quam penitùs nulla sunt? nisi (quæ rara naturæ cuæ bonitas est) pro merito haberi placuerit, adfectum illum venerationis & amoris, quo omnis otdinis mortales (quibus prænobile tuum innotuit nomen) feruntur in Amplitudinem T. vniuersi, & ego inter eos. Tua igitur singularis humanitas, tua vnica benignitas, morumq; facilitas inaudita, fecerunt; vt ab alto dignitatis culmine descenderes,

meq; obſcurum homuncionem, vix nomine notum tanto honeſtamento dignareris. Quarè, ſi poſt tam inſolentem erga me humanitatem, ego Amplitudinem T. non ſuſpicerem ac venerarer inſolito etiam obſervantiæ cultuſque modo; ſi non eam porrò & animo amplecterer, & linguâ prædicarem, & calamo denique pro virili extenderem, quin meritiſſimo meo ſceleris inſignitè magni, me inſimularet mundus, cauſſam dicere non queo. Spondeo itaq; & polliceor me facturum; atque vnà operam daturum, ne temerè ad hoc munus ab Amplit. T. electus videar.

Deum precor (excellentiſſime Comes) vt te lumen & decus Aulæ, fulchrum & columen Academiæ, Regno, Regi & nobis Academicis, diu incolumem præſtet.

Oxon. 29. Novembr.
1619.

Epistola 2.
Eidem.

EFficaciſſimum rogandi genus eſt, gratias agere; & ibi ſperatorum facilior

lior impetratio, vbi acceptorum liberior professio. Hinc mihi nunc-fiducia rudi hoc & impolito scripto Amplit. tuam compellandi: quod primo tabulæ confessoriæ instar habere poterit, indè supplicis libelli munere fungi. Ad vtrumq; larga suppetit materies, siue Amplit. contempler tuam, siue meam ipsius parvitatem respiciam. quanto virtutem, bonasq; literas, eosque qui eas amant amore & benevolentia prosequaris (præcelse Comes) vbiq; homines publicè prædicãt, ego privatim experior, & grato animo lubens agnosco. Hoc quodcũq; vel dignitatis, vel auctoritatis apud Oxonienses tuos totum jam biennium & quod excurrit teneo, ex solâ tuâ ergà me benignitate, teneo: non importunis nimiúm precibus emptum primò, non molesto ambitu posteà continuatum, sed ab εὐγενεσάτῃ tua Amplit. (quæ parca beneficiorum tuorum æstimatrix, difficultatis artem adhibere nescit) honorificè in me collatum; eâque tum serenitate oculorum, tum vocis comitate quæ promptam animi lubentiam proderet, & majoris beneficentiæ spem præbere posset: & præbuit (Nobilissime Comes) eamque

non

non exiguam; cui fomenta insuper addidit multó maxima clarissimus Heros, (inter dècora Nobilitatis Britannicæ meritò habitus) Dom. Chandos Dominus (heu!) nuper meus longè optimus: verum illo præmaturâ & mihi medullitùs semper lugenda morte prærepto, emarcuerat subitò hæc spes, & quasi penitùs decoxerat nisi quòd eam nobilissimi tui ingenij bonitas, perpetuò & constanter benigna mihi animo recursans, labantem sustentaret novasque ei vires refunderet. Quare supplex Amplit. tuam obtestor (Illustrissime Comes) idque per heroicos Manes illius, qui donec in viuis erat, Tui cultor fidus erat & syncerus, quemque post fata etiam abs Te amari persuasum habeo. Obtestor (inquam) serva erga me (olim eius servum) depromptæ benignitatis tuæ tenorem: orbum & opis indigum porrò subleva, patrocinioq; tuo dignare: ita quem tua honorifica beneficentia tantis dudùm devinxerit modis, obnoxiumq; fecerit, eum vltrà in æternum obsequium ac servitium tibi mancipabit.

Deum veneror (Illustrissime Comes) vt te lumen Aulæ, Academiæ nostræ columen, Regno, Regi, & nobis diù servet incolu-

incolumem. dabam *Oxon. 6. Feb.* 1621.

EPIST. 3,

Eidem Illuſtriſſimo Comiti cum primùm obtuli Methodum Hiſtoricum.

Illuſtriſſime & præcelſe Comes,

ANnus jam factus eſt atque aliquid amplius, quod ego benigno tuo interventu & favore adjutus, prolixâ Clariſſimi Clarentij munificentiâ vtor fruor, & apud Oxonienſes tuos publici Prælectoris in Hiſtoria munere fungor. Quantis me modis A. T, obnoxium, cum hoc recenti beneficio, tum alijs antea pluribus nominibus fecerit, ipſe mecum tacitus recolo, & animo ſæpiùs contemplor, nec ceſſo equidem publicè prædicare, ſed quî me ſatis dignum præſtem, nullus invenio: enitor tamen, & pro virili operam navo; quod vt tuæ etiam A. aliqua ex parte liqueat, en tibi (Heros clariſſime) vnum Prę̃metiorum meorum Hiſtoricorum manipulum, humanitèr & ſubmiſſè offero, quem tanti haud eſſe vt honorifico tuo digneris adſpectu

ſpectu non infiteor: obſequij tamen mei, & cultus infucati ſpecimen, pro ſolita tua humanitate, & vnici ferè exempli in literatos amore æſtimes ſuppliciter & obnixè rogo.

Ita Deus A. T. (Heros nobiliſſime) ad Aulæ Regiæ ſplendorem, Academiæ fœlicitatem, totius regni perpetuum bonū, diu ſervet incolumem. *Oxon. proprid. Kal. Novemb.* 1623.

Epist. 4.

Eidem illuſtriſſimo Comiti. Dedicatio Methodi Hiſtoricæ.

Hiſtorias legēdi Methodum (illuſtriſſime Comes) jam biennium eſt quod Auditoribus meis propoſui, & flagitatu quorundam adactus magis, quam meopte ingenio aut judicio ductus, luce publica donavi. Eandē ipſā, accuratiore nūc manu recenſitam, & novis aliquibus cogitationibus adauctam, Oratione inſuper auſpicali præmunitam, denuò publici juris facere placuit: idque juventutis Academiçæ vtilitatem ſeriò, imò vnicè (ita

(ita me veritas!) cogitanti & vouenti: nam ad gloriam quantula sunt isthæc? Tui autem Nominis amplissimi titulo (Herõum Nobilissime) has quales quales lucubratiunculas insignire ausus sum: nec defuerunt causæ, quæ vt ita facerem, invitarunt dicam an imperarunt? etenim tui Nominis splendore illustratæ, tuæ authoritatis præsidio firmatæ, et lucem fidentiùs adspicient, & eorum animos, quorum intererit legere aut scire faciliùs conciliabunt: deindè (quod me penitiùs movit) hoc ipsum oportunitatis momentum, vitæ fortassis noviſsimum (adeò funesta sunt tẽpora) ocyùs occupandum mihi videbatur; quo vocem aliquam in vulgus emitterem confessoriam & publicè prædicantem, quantis me devinctũ beneficijs teneret A. T. mitto dignationes alias multiplices, quibus me jam olim, & haud ita pridem etiam filiolum meum benigniſsimè mactavit. Hoc ipsum munus professorium quo in Academia, Te summo quasi Musagete fungor, & quod isthæc elucubrandi otium mihi peperit, occasionemque subministravit, hoc (inquam) clariſsimi quidem *Camdeni* τῦ μακαρίτε munificentia, tuâ vero promptâ adstipulatione, tuâ honorificâ

honorificâ commendatione me adeptum lubens agnosco, meritó profiteor. Sic vt meâ si quid operâ Historiarum Studiosi tandẽ profecerint, si quid meâ ope Iuventus Academica se adjutam senserit, haud minimam gratiarum partem tuæ debitam Amplitudini fateantur sit necesse; eoque nomine suum Eam versus amorem, observantiam, cultumq; adhuc magis intendant atque augeant.

Nobilissime Comes, Deus tuam illam singularẽm προθυμίαν prompitudinemque benè mihi meisque faciendi, larga muneretur manu: Teque huius Academiæ, imo totius Reip. bono, diutissimè servet incolumem. Ità vovet animitùs,

Oxon. 8. *Kal. Sem-*
tembreis, 1625.

Amplit. Tuæ devotissimus cultor et cliens. *D. W.*

EPIST. 5. Eidem.

Nobilissime & præselse Comes, Cancellarie æternùm honerande.

BEneficionum ingentium idem effectus atq; ingentium curarum, animos obnoxi-

obnoxios in stuporem conijcere. Exemplum si quis requirat, me videat; quem eousque consilij inopem (nudius quintus) inexpectata tua, & (nisi quod tua erat) incredibilis benignitas fecit, vt quod stylo exprimerem, quodve ore proferrem tuâ Amplitudine dignum nihil reperire possem. Ita est ingenium heroicæ virtutis tuæ, præter vota beare eos quos in clientelam tuam suscipere dignaris. De plebe litteratorum educi me olim voluisti, & ad ædilitatem annonariam provehi: ecce! provectus sum. Mox, publicis in Academia Professoribus accenseri cupis; accensebar. Denique, nuperrimè sine flagitio, sine ambitu, inter studiosorum Præfectos collocari jubes: & collocor. Hasce dignationes summas dum apud me reputo, si gratias me relaturum dignas sponderem, impudens forem & audax, quum vel agendis, vsquequàq; me imparem sentiam. Atqui benè est, quod solam boni animi mercedem pro benefactis, tua exoptet Amplitudo, hinc onus mihi aliquantò levius. Nihilominus, ego supremo Numini gratiarum mearum vices supplex delego: idq; obnixè veneror & quæso, vt tuam erga me benignitatem honorificam, dignis honorum

norum proceſſibus, aſſiduoque præſidij diuini fauore compenſet. Quin & ipſe intereà loci (quod vnicè potero) negotium omne, omne otium meum, in ornandâ beneficentiâ tuâ celebrandâq; ponam, atque ita grati animi ſaltem benevolentiam declarabo; & quandocunque à me defecerit hæc anima, monumentum aliquod, (exile licet) me relicturum ſpēro, quod apud poſteros etiam teſtetur. A. T. in me beneficia longè maxima, fidemque porrò faciat, me debitorem quamvis vixiſſe ingentem, adeóq; mortem obijſſe; haudquaquam tamen pertinacitèr aut ſtupidè ingratum deſediſſe.

Illuſt. Cormes, Deum ſupplex rogo, vt A. T. nobis Academicis tuis, totique adeo Reip. diu præſtet incolumem, honoribus mactam, Regiæ Majeſtatis gratiâ conſtanter flagrantem, pietatis denique & veræ religionis ſtrenuè propugnatricem.

Ab Aula Gloceſt.
6. Kal. Mai. 1626:

Epiſt.

EPIST. 6.

Ornatissimo viro D. Beniamini Rudierdo Equiti Aurato, amico colendissimo.

OBsequor consilio tuo (præclare Eques) et literas alteras ad illustrissimũ Cancellarinm nostrũ tibi mando: erat mihi in animo jamdudum sic feciſſe; sed diversæ me impedierunt curæ, partim privatæ, partim non meæ. Si judicio tuo nimis limato quicquam minus arrideat, haud multum mirabor. Nam quid melius expectare potes ab animo anxietatũ mole oppresso? obvenerunt mihi anno superiore aduersa plurima, & numerosa exercendæ patientiæ ingruit materies. Fatum Domini mei præfestinum, & mihi imprimis luctuosum; quo-cum mihi perijt quindecim annorum & sors & vsura. Sed in præteritum subvenire ne Dij quidem possunt, vt *Plin.* quid apud te repetam Moralis Cathedræ jacturam, & mea vota circa eam illusa? quid valetudinem meæ familiæ longùm afflictam? quid alia damna domestica & altiùs penetrantia? aliàs etiam sollicitudines

quæ me quotidiè macerant? Verum vti dies & mora ægritudinem tollunt, ita non dubito quin tempore ſuo dederit

Deus his quoque finem:

Quin & meliora dabit vti ſpero, vt experiar quam ſit vtile ad vſum ſecundorum per adverſa veniſſe. Sed ad rem redeo: parciùs & implicitè, deſiderij mei ſummam apud excellentiſſimum Comitem inſinuaui, tuæ prudentiæ relinquens, vt latiùs & enucleatiùs quicquid in meam gratiam videatur enarres. Quod vt facias non anxiè peto, ne tuæ in me benevolentiæ injurius videar, cujus toties expertus, jamdiu ſecurus fio. Quod reliquum eſt ſalue vir Colendiſſime.

Oxon. 6. Feb. 1621.

Eidem Epist. 7.

Vir ornatiſſime & mihi longè colendiſſime.

QVòd infrequentiùs ad te, meæ ſalutatum accedant literæ, graviores tuæ in Repub. occupationes omninò faciunt; quibus ſine cauſâ admodùm probabili

probabili obſtrepere, ſumma mihi cautio ſemper fuit: id nunc demùm nuncio, vt meo apud te ſilentio facilior ſit venia. Neque tamen (ſi rectè ſingularem animi tui bonitatem noverim) ex hujus officij raritate ac infrequentia, adfectum obſervantiamque in te meam pendendam arbitraberis. Quantum tibi debeam & quibus nominibus, agnoſco; quanti viciſſim abs te fiam non ignoro: hinc in ſpem, imò in fiduciam adſurgit animus, te neutiquam defuturum, vbicumque dabitur, optata noſtra procurandi. Ceſſo igitur vlteriùs negotijs tuis ocioſâ loquacitate onus adijcere moleſtum; pauculis hiſce tantùm lineis cultum & obſequium meum porrigendum duxi, quod boni apud te conſultum iri non dubito, quum me liberè profitear vbique, & ſine fuco ſim Tuus *D. W.*

Epistola 8

Iohanni Leio Theologo amico meo integerrimo.

MIraberis fortaſſe multum (dilectiſſime *Leie*) vndenam hæc fidentia quâ

illuſtriſſimum & eminentiſſimũ Comitem, ego infimæ ſortis homuncio literis meis interpellare auſus ſim: vt deſinas mirari, huc aurium tuarũ operam pauliſper accommodare ne graueris. *Præfecturam Annonæ* (Mercatus clericatum vulgus nuncupat) in me nuper contulit ſũma clariſsimi Herois indulgentia, tantâque porrò me gratiâ dignatus eſt, vt penè in ſtuporem me dederit, adeòq; ancipitem reddiderit, majorine gaudio an pudore ſuffundi debeam. Rem totam (ſi vacat audire) narrabo tibi. æſtate noviſſimâ dũ Regia Majeſtas Woodſtochiæ cervos inſectando ſeſe oblectaret, (noſti morẽ Academiæ) prodeũt veneratũ & ei manus oſculatum, Vice-Cancellarius & totus Præfectorum chorus: ibi (vt fieri ſolet) à nobiliſſimo Cancellario honorificè omnes excepti, ad menſã vocati, lautè & opiparè epulati. Poſt prandium, multa ſuum Pro-Cancellarium ſciſcitante nobiliſsimo Cancellario, inter alia, de me (fortè fortunâ) quæſtio fit, vtrúm ei innoteſcerem? an Oxoniæ degerem? affirmanti Procancellario, ſubijcit inclytus Comes; Hunc cupio *Ædilem Cerealem* fieri in annum ſequentem: atque egomet ipſe (inquit) tibi eum ſpondeo probum,

Dr Prideaux.

probum, induſtrium, & non ineptū. Quis tantillus talia vel optare, nedum ſperare, à viro tam Magnate? neq; hîc tamen ſubſtitit, ſui & omnis ſęculi optimus Heros. Quin Rege Oxoniam prætereunte, & ex itinere ad Scholas novas viſēdas paullulùm divertente, inter admirantiū & venerantium turbam me conſpicit: placet evocare, compellare, noſcere, (Deus bone!) quo vultu? quâ vocis comitate? quāta προθυμία? (totis vt nonnemo loquitur) humanitatis quaſi effuſis habenis. Cogita nunc (mi Leie) quâ dignà ratione, benignitatem tam honorificam celebrare poſſim? quibus verbis tanto Heroi gratias habiturus ſim pares? fateor huic oneri me non ſubſiſtere: connitor tamen hiſce quas vides literis, fiduciæ plenus, mirificam naturæ ejus bonitatē omnia candidè interpretaturam, meiq; animi devotiſsimi obſequium non habituram ingratum. Quod reliquum eſt te obnixè rogo (doctiſſime Leie) pro antiquo illo & mutuo amore, quo inter nos longùm amauimus, & ſpero amabimus, cures eas fidelitèr tradi optimo Herōi in manus; ita plurimùm vale.

Oxon penult. Novemb.
1619.

EPISTOLA 9.

Viro Clariſſimo Guilielmo Camdeno Clarentio, S. nuncio & obſequium.

AVdebo ſanè: (Clariſſime Clarenti) & quandoquidem nomen meum tibi noſcendum, doctiſſimus Allenus tuus, (promptus commendator) inſinuaverit, enitar ipſe ſtylo, vlteriùs tibi innoteſcere. Olim fateor hæc me invaſit ambitio (& quem non, politioris literaturæ & antiquitatis amatorem?) ſed deerat occaſio, vel obſtitit potius mihi mea verecundia, propriæque immerentiæ conſcientia: nunc autem, ecce! ſupra votum abs teipſo, benigniſſimè quaſi invitatus videor, dum ſalutationis honore, literis nuper ad optimum Allenum tuum datis, me quoque es dignatus. Has vbi mihi legendas communicaverat integerrimus ille, (non mentiar;) impendiò mihi gaudebat animus; & ô inquiebam ſi daretur adſpectu colloquioque ejus defrui, ſiue aliter fidem facere, quantâ ego jamdudùm reverentiâ doctiſſimi Pauſaniæ noſtri Britannici nomen proſecutus ſum? interea

intereà loci (vir ornatiſſime) non potui abſtinere manum, quin literarium hoc obſequium porrigerem, commeante præſertìm, & operam ſuam humaniter offerente Profeſſore Regio Medico, exquiſitæ eruditionis & probitatis viro, quiq; teipſum juxtà colit amatque. Neque hoc qualecunq; officium ex ſpe munificentiæ (quam mihi ſpondere videbantur illæ tuæ literæ) depromptũ arbitreris, ſed ex intimo potius adfectu venerationis pleno. Quare (ne tibi ſim tædio) breviter, hujus paginæ, imò votorum præſentium ſumma hæc eſto: vt certo ſcias, tibi notum eſſe & inter tuos adſcribi, apud me pro eximio honore, pro ſummo beneficio cenſeri. Atque ita ſalve Vir ornatiſſime.

Oxon. 6. Kal. Ian, 1621.

Epist. 10.

Eidem.

Clariſſime & Colendiſſime Clarenti

HEtheri tui juſtas moras novimus, & expectationem noſtram non illibenter paullulùm protelamus: interim ego ad opus deſtinatum ſedulò memet ac-

cingo,& materiam Spartæ meæ ornandæ idoneam, diligenter cogito. Neq; tamen ſalutem quam tibi tacitis aſsiduè cõprecor votis,ſcriptâ hodiè pagina nunciare piget;nec pigebit vnquam poſthac, dũmodò tibi cultus hujuſmodi, moleſtiam non faceſſat: & ne faceſſat,ecce! modicus verborum eſſe ſtatui: tantùm cõſtet(obteſtor)amorem te tuum & munificentiam, in ignavum aut ingratum neutiquam locaſſe. Ita ſalue vir colendiſſime.

Oxon. 28. *April.* 1622.

Epistola II.

Eidem.

PRæclaram illam tuam munificentiam erga matrem Academiã,vt & amorem dignationemqúe ſingularem erga meipſum, frequenti in Senatu hodiè publicavit,digniſſimus noſter Procancellarius. Quam gratus ad nos acceſſerit hujus beneficij nuncius & interpres Hetherus, alma indicabit Vniuerſitas, aut ſi poſſit, indicet ipſe, quem titulo auctum, et Academico honore decoratum ad te remiſimus. De me fatendum eſt (vir clariſſime) non invenire quid dicam, quidve

quidve rependam. Quin igitur ad vota confugio,& ad vicem mearū gratiarum, favorem cœleſtis præſidij tibi quotidiè exopto. Facio animitùs, et porrò faciam, ---*Dum ſpiritus hos regit artus*, Tu interim (vir colendiſſime) bonæ conſcientiæ præmio, quod ſoles,lætare;indè enim ſolummodò magna præſtanti poſſe ſatisfieri, præ cæteris noſti. Ita ſalve à tibi æternum devinctiſſimo.

Oxon. 16. *Kal, Iun.*

EPISTOLA 12.

Eidem.

ITinerarij Antonini exemplar aliquod vetuſtum te deſiderare ſi bene memini ſignificaſti, cum manus oſculandi gratiâ haud ita pridem apud te viſebam. Ecce! poſt nonnullam diſquiſitionem, vnum (ni fallor) è cuſorum vetuſtiſſimis nuper inveni, quod ad te confeſtim mittere geſtio. Simul rogans vt meum in te adfectum & obſervantiam, nō ex parùm frequenti aut paucâ ſcriptione metiaris (quorſū enim literis rerū plane vacuis et inanibus

inanibus te toties interpellarem?) ſed pro candore illo tibi innato, tui ſuprà omnes mortaleis (ſicut de me es meritus)apprimè colentem cenſeas. Id vt magis ſeriò & publicè probem, poſthac (vti ſpero,& voueo,)fiet. Interim Deum veneror,vt largo ætatis excurſu,fœliciq; porro valetudine, ſenectutem tuam donet. Raptim *Oxon.* 12. *Auguſt.* 1622.

Epist. 13.

Eidem.

OPerarium mercede dignum, ipſa dictat & ratio & religio: ſed quotuſquiſque eſt qui operam pretio prævenit? id tu facis (vir clariſſime) quæ ſumma tua eſt munificentia & benignitas: dumque ego memet ad opus accingo tantùm, ſtipendium perſolvis. Scilicet vt alacriùs munere defungar meo, & pro virili operam ſtudiumq; navem. Spondeo; divinus modo favor ſalutem,ingenium, vires propitius largiatur: id primum meum votum: dein vt te mihi longùm præſtet incolumem, & hanc tuam in me benignitatem, cœleſti denique mercede,

mercede, sed seriùs muneretur. Ita salve Benefactor optime à tuo Beneficiario devinctissimo. *Oxon. Sept.* 1622.

Epestola. 14.

Eidem.

EN tibi (vir clarissime) *sepulchralem* illam *Inscriptionem*, de quâ nuper mecum es locutus, cujus transmittendæ fidam obtulit occasionem venerabilis hic vir, tui juxta mecũ cultor eximius. Dr *Fell.* Possem citiùs fortassè hoc officium præstitisse, possem etiam crebriùs isthæc literarum obsequia tibi deferre: sed neque tu rigidus officiorum exactor cluis, & impolitis jejunisque hujusmodi paginis tibi nauseam creare, religio est. Parcus itaque sum verborum, sed votorum non item: his Deum quotidiè supplex veneror, tuæ vt propitius adsit senectuti, vires vt indat indies novas, viuacem denique te vt reddat, tuique Beneficiarij longùm amantem. Raptim. *Oxon. Feb,* 6. 1622.

Epist.

EPISTOLA 15.

Eidem.

Clariſſime Clarenti,

VEriſimillimam tui ſimilitudinem artificioſa graphide depictam, multo adfectu, cultuque multo tabulam exoſculatus, nudius tertius accepi; et hãc ipſã hora prolixæ tuæ largitatis portionem haud minutam, decem puto libras meis neceſſitatibus ſupplendis commodiſſimùm abs te miſſas. à nonnemine dictum memini, *In neceſſitate amicum qui iuvat, loco Dei eſt.* Sed vide (vir clariſſime) quantifariàm te, tuaque bonitate jam fruor. In Muſæolo, ſcripta tua longè doctiſſima, oppidoque limata quotidiè mecum loquuntur, et immortalis ingenij, mentiſque diuinioris referunt imaginem. In cubiculo, tabula iſthæc novella, corporis oriſque tui venuſtam repræſentans gravitatem venerabundos ſæpiuſculè detinet oculos: quottidiana denique menſa mihi ſuggerit aſſiduè, non vt confitear ſolùm ſed

vt

vt prædicem tuam in me ſingularem munificentiam: neque enim diſſimulare queo, (cum animum magnum non admittit tenuis fortuna) ſed palàm narro, in eas me nuperrimè deductum anguſtias, decoctoris cuiuſdam ἀσωτίᾳ atque inertia, vt quicquid ego et numeroſa proles mea comederimus, biberimus, induerimuſque tibi poſt Deum acceptum in poſterum referendum ſit (niſi ſuccurrant leges) ferè totum. Et quid tanto Benefactori rependam? præter gratias gratiſsimas, præter obſequium, præter infucatum cordis hujus adfectum non ſuppetit quicquam. Horum ſponſionem facio; et præſtare non ceſſabo. Vota inſuper, apud Deum opt. Max. indies concipiam, vt quoniam me huic tantæ benignitati imparem, vel rependendæ vel promerendæ eſſe voluit, ipſe tibi mercedem ampliſsimam in cœlis reponat, et interea temporis, ſenectutem in terris reddat viuacem et valentem. Ita ex animo vovet Beneficiarius ille Tuus.

Oxon. 12. *Mart.*
1622.

EPIST.

Epistola. 16.
Eidem.

STylum hodiè cohibere,& literarij ſermonis ad̃ te nihil dare,piaculum foret, optimo Alleno, antiquo illo tuo, commeante: certè manet, æternumque manebit apud me, illius diei memoria, in quo hujus optimi ſenis manu, ſcripta pagina meum nomen tibi primùm fecerit notum, tuamq; erga me benevolentiam conciliaverit. O fœlix pagina! ô dies fauſtus & meliore lapillo notandus! quippe poſt breviuſculum temporis intervallum, mihi egenti largum benefactorem, inopi munificũ patronum, imò patrem orbo longè benigniſſimum adquiſiuit & comparavit. Ingratiſſimus omnium meritò audirem, ſi hæc mihi exciderent aut occupatione vllâ ſubducerentur. Mecum igitur quotidiè reputo,atq; inde vota facio, vt Deus pro immenſâ ſuâ benignitate vtriſque veſtrum retribuat in cœlis, quandoquidem hîc ego quod rependam non habeam præter meipſum, quem tu (vir clariſſime) ætatem

tem tibi habes mancipatum. Vale. *Oxon. Mai.* 5. 1623.

Epist. 17.

Eidem.

ITa Muſas habeam propitias teque ipſum (vir clariſſime) mei ſemper amantem vt me pudet diutini ſilentij! vltro hanc in me arguo culpam, nec deeſt tamen quo me excuſem. Ecce enim vbi me publico munere ſatis defunctum putaſſem, & Comitijs Academicis tranſactis Vacunæ litare mihi licitum ſperaſſem, ecce! inquam, πόνος πόνῳ πόνον φέρει. novum mihi exhibent negotium nonnulli ex Auditoribus meis. Alius privatum implorat auxilium & conſilium, circa Hiſtoriarum ſtudium; non detrecto. Alius præcepta jam publicè dictata, de ratione & methodo Hiſtorias cum fructu legendi, ſcripta etiam rogat, & literis exarata flagitat; promitto. Huc accedunt domeſticę curę quæ me plurimùm exercuêre, ne dicam afflixêre: denique iter ad te, ipſe in animo quotidie adfectabam, vt præſens tibi honorem & obſequium

quium deferrem, ſed quotidiè abſtinuerunt me quæ dixi et alia quæ non dixi impedimenta: expediam tamen brevi vti ſpero, tibique incorâm ſolitas gratias agam, et ſtyli ferias à culpâ eximam. Interim quæſo, pro me tecum loquatur indulgentiſsimus in ſuos tuus animus, ego quod ſoleo Deum precabor, ſenectam ætatem tuam vt longùm vegetam et valentem reddat. Id votum deſideratiſsimum tui Beneficiarij.

Oxon. 3. Kal. Septembreis.
1623.

EPISTOLA. 18.

Eidem Clariſſimo Guil. Camdeno prima Methodi meæ Dedicatio.

CVm ad hanc provinciam cui præſidet Hiſtoria, benigno tuo delectu (vir clariſsime) et promptâ matris Academiæ adſtipulatione acceſſeram, priuſquam Authorem à te deſignatum, principe loco Iuventuti Academicæ legendum aggrederer, præloquia quædam ad Auditores meos non invtiliter habenda cenſebam, quæ viam ad Hiſtoriarum

riarum lectionem præſtruerent, & intellectionem earum faciliorem redderent. Primò igitur vocis etymo curioſè notato, ipſius rei originem mox diligenter anquiſiui; inde naturam ejus & definitiones excuſsi, poſtea ſpecies varias explicui, tum in membra & partes eam diſpertiui; de alijs deniq; plurimis, quæ ad Antiquitatis & Hiſtoriæ illuſtrationem facere videbantur, ſeriò atque attentiore animo diſſerui. Iſthæc omnia diuino adminiculante favore, prout ingenij noſtri paupertini fuere vires, ſuperiore anno duodeviginti lectionibus expediuimus: quarum partem aliquam apud te priuatim meipſo recitante, dignatus es audire atq; erudito inſuper calculo, tua manu adſcripto probare. Anni demùm exodio, Methodum legendi Hiſtorias Auditoribus meis, propoſui, non exactam illam (fateor) quam tacitus mecum ſæpiùs optaui vt aliquis daret, ſed quam pro tempore potui; brevem quidem, perſpicuam tamen ſoloci contextam filo, ſed juventuti Academicæ vti ſpero non ingratam, aut invtilem futuram. Qualem typis nunc excuſam & multiplicatam, tuo nomini (vir clariſſime) di-

candam, conſecrandam duxi; inter alias hiſce de cauſis, vt præliminaris iſthæc ſaltem pagina, tuum erga me meritum notitiæ lectorum palàm obferat, & meæ qualiſcunque gratitudinis fidem porro propaget. Deindè vt ſi quâ vel iſtæ tenues lucubratiunculæ, vel alij poſt labores mei, ſtudioſis Hiſtoriæ aliquod attulerint adjumenti; quicquid id fuerit, ſecundum Deum tibi acceptum ferant, cujus ſola munificentia in publicum Iuventutis Academicæ bonum hanc Spartam inſtituit, & mihi ornandam demãdavit: quod vt naviter faciam, atq; efficaciter, Deum quæſo venerorq; vires mihi præſtet, & ingenium par tanto oneri: tibi vero (vir clariſſime) ætatem ſenectam, viuacem & valentem, ſic vt vberiores indies munificentiæ tuæ fructus diu videas, ejuſque remunerationem æternam poſteà in cœlis, ſed ſeriùs accipias.

Hoc votum eſto meum: vos hoc generoſa Iuventus

Meritò, lubentes, vſq; comprecamini.

Oxon. 6. Kal. Octobris.

1623.

EPIST.

EPISTOLA 19.

Doctiſſimo & humaniſſimo Thomæ Claytono Regio profeſſori Medico.

EN tibi litteras meas ad incomparabilem Clarentium Pauſaniam noſtrum Britannicum. Tua eſt humanitas quæ anſam mihi ſcribendi obtulit, tua itidem erit promptè ad eum deferendi quę ſcripſi. conſilium ejus, & munificentiſſimum illud propoſitum, vndè ſpes mihi aliqua jam affulſit, (vti tu noſti) haud quaqnam ipſe apud eummet inpræſentiarum vrgeo; benignitati enim tam pronæ, tam facili, nimio ambitu importunus eſſe, cautio eſt. Tu verò orandus es, has vt tibi partes tanquam delegatas adſumas, qui ei etiam perſuadere poteris, me nunc quidem in petendo modeſtum, & parcum eſſe; verum in agendis poſt impetrationem gratijs fore copioſum. Sed heus! eſt porrò quod te impenſiùs exoratum cupio: nempe vt cum eum adieris, & de me forte ſermo aliquis inciderit, videſis me meo modulo metiare, nec prolixà nimis de me præ-

dicatione (qualis est amor in me tuus) judicij tui synceritatem devenustes. nequicquam fraudi fuerit tuæ dignitati, aut meæ famæ, si adstipulationem tuam infra terminos veritatis stetisse postmodum apparuerit. tantum est. Vale.
Oxon. 6. Kal, Iun. 1621.

Epistola 20.

Eidem.

MEdicamenta tua (doctissime pariter & humanissime) fœlicissimo successu hausimus, vtrinq; sursum, deorsum. heri vbi stata advenerat hora, febris accessionem sensimus nullã juxta spem tuã meumq; votum, ex vomitu (spero) evanuit: saltem fervor deferbuit, & profligatum hunc morbum fidenter affirmarim. Deo summo Liberatori, primò summa laus; tibi dein gratiæ gratissimæ debentur. eas tibi benignissimo meo Æsculapio semper habebo, & Galli gallinacei loco, hoc qualequale carmen impræsentiarum do, dico, lubens, meritò.

Haud

Haud malè, * qui dixit *Manus eſt Medicina Deorum*

Aut Febrim *Digitum Numinis* indigitat.

* *Erophilus teſte Galen. 5. de Comp. M. & Syracides.*

Ipſe probavi olim; magè nunc, expertus vtrunque:

Nempè, priùs *Digitum* Numinis, indè *Manum.*

Me lecto afflixit *Digitus* diuinus, at ille

Quo Genitor natos corrigit vſque ſuos.

Deprecor hunc *Digitum*, (mollem licet) atque ſubactus

Iam ferulâ, obteſtor devenerorque *Manum.*

Me lecto relevat *Manus* at divina, etiam illa

Correptos ſolita eſt quæ refovere ſuos.

Hâc recreor: tuque hæc ipſa es (clariſſime Doctor)

Qui mihi fers medicam promptus amicus opem.

Iamque mei proſint mihi ſic digitique manuſque

Vt mihi præ digitis charus es & manibus.

EPISTOLA 21

Spectabili viro Iohanni Pym amico optimo, & optime de me merito.

LIteras ego tuas omnes (vir spectatissime) accepi, & in his postremis Schedulam quæ mihi decem librarum copiam fecit: multis nominibus, gravioribusque summis me tibi devinctum habuisti anteâ, arctiori nexu hîc ligasti; quem si solutum eam, frustrà sim; imò si cupiam; imò si optem. Vtcunque enim pecunias numerare possem & reponere, beneficium tamen semper manet; pro quo gratias tibi habeo quas possum maximas, atque semper habebo; referendi & munerandi partes benignitati diuinæ calidis delegans votis. Quod ad literas in gratiam meam ab honoratissimo Domino meo scriptas, eas pridem obtinui, & misi vnà cum epistolâ meâ ad illustrissimum Comitem, quas spero à Leio meo, amico (vti ipse nosti) ex antiquioribus, & illustrissimo Comiti á sacris, juxtà traditas. Ego firmiter confido, Deoque eventum precibus commendo.

mendo. Vale. *Oxon.* 21. *Decemb.* 1629.

Epist. 22.

Eidem.

QVod hortaris lubens facio, & quãvis styli mei aut ingenij nulla omnino sit fiducia, vtpotè qui vtriusque maciem & jejunitatem probè noverim, eandem tamen operam perseveranter advigilo, eodemq; charactere tibi literarum mearum obsequium deferre pergo. Scio te cordatum & peritum rerum æstimatorem: hîc tamen vereor ne tuus in me singularis amor indulgeat nimis, eoque fraudi sit judicio tuo, cum de sermone scriptisue meis arbitratio fiat. Non est herclè in meis quod mireris; quod miserearis potiùs; quod magis rideas quam quod æmulari velis. Sed missa hæc facio, tibique nuncio pecunias à te 6° *Jan.* numeratas à B. nostro receptas in cujus rei testimonium ecce Cheirographum ejus hic inclusum atque vnà juge meum habe votum pro tua

tuorumque ſalute. Vale.
Oxon. 10. *Ian.*

EPISTOLA.. 23.

Eidem.

AN tabellariorum incuriam literarum mearum alloquio nuperè te fraudavit? aut domo abes? aut inſolentibus negotijs totus manciparis? aut (quod Deus avertat!) ſequiore valetudine laboras? pendeo animi quid magis ſuſpicer, quidve metuam: ita nunc aliquandiù reſcribendi operam (cuius ſemper obſervantiſſimus fueras) diſtuliſti: meo tamen fungendo officio haudquaquam ſuperſedeo, imò tantò acriùs inſiſto, quantò ſollicitiorē me habeat tua cunctatio: obſecro te, quamprimum iſthac anxietate me expedire digneris; quod protinùs facies ſi tuæ ſoſpitatis indicia (vel ſub manu ſervuli tui) mihi reportet proximus tabellarij recurſus. Vale. raptim.
Oxon. Ian. 26. 1619.

EPIST.

EPISTOLA 24.

Eidem.

HAud temerè abs te vllæ acceſſerunt literæ mihi magis gratæ quam hæ poſtremæ fuerunt: vtpote quæ tum me-ipſum tum etiam vxorem meam, anxietudine valdè ſollicitâ liberarunt: gratulamur ergò plurimùm tibi proſperam valetudinem, quam indicas, impenſu majore olim gratulaturi honorum tuorum incrementum, ſi quo te Deus & bonus Rex noſter (quod auguramur & vouemus) dignati fuerint. interim ſoſpitatem tibi tuiſque vt perpetim ſecundet, æternus ille bonorum Curator, inter votorū noſtrorum faſtigia ponimus: deindè vt quodcunque ſit quod ritè moliris, id ex animi ſententiâ tibi ſuccedat, in gloriam diuinam, in bonum publicum; addo & in tuum priuatum, pro illuſtrium virtutum tuarum dignitate & merito. Quod ad me attinet, in hâc rerum frigiditate, licèt ſperare ſit prolixum, haud defetiſcar tamen, eòque minùs quo certior ſim me adeò tibi curæ eſſe. Vale. *Oxon. prid. Kal. Feb.* 1619.

EPIST.

Epistola 25.

Eidem.

QVàm vellem rectè me conjecturam feciſſe, teque prout ſperaveram juſtis honorum proceſſibus creviſſe! Neque reverà teipſum nolle decet. Licet enim fortis animi magniq; dicendum ſit (Ciceronis verba noſce) ea quæ pleriſque eximia videntur & præclara, parva ducere, ſtabilique ratione contemnere; licèt cui æquus eſt animus hic ſatis habeat quâ vitam benè colat: vti meus Comicus: ego tamen cum Horatio fidenter aio,

-- *Aut virtus nomen inane eſt*
Aut decus & precium rectè petit experiens (vir.

à nobis etiam ſtabit Ariſtoteles ipſe, ſummus in Philoſophia Dictator, qui μικρόψυχον ſive ἀφιλότιμον, in ſeipſum, in ſuos, in Rempub. imò in ſupremum omnium bonorum largitorem injurium dicit. Sed philoſophari vlteriùs non vacat. De N. noſtro non dubitabis quin valdè laboret pecuniarum indigentiâ, iuvene infrugi

ne

ne dicam prodigo. modeſtè tamen primò abnuit abs te vllas velle; quòd expectaret ſcilicet ab Occidente tabellarium, eòque ſolum gratias tibi renunciari cupijt: heri tamen ad me redit, & narrat quam dubia ſit ſpes ab Occidente, rogat itaque vt quandoquidem tam promptus es humanitatis, digneris harum literarum latori pecunias committere, quod ſecurè â te fieri poſſe ſcias accepto Cheirographo. Vale *Oxon. Non. Feb.* 1619.

EPISTOLA 26.

Eidem cum adhuc adoleſcens à mea diſciplina recens exierat,

NÆ tu (mi Iane) per quam benigno natus es ingenio qui exile illud & qualecunque meritum meum, ſemper in maius extollis, & ſuprà meritum prædicas. an non palpum mihi obtrudis? ego me ſatis fœlicem putabam, quòd flagitium effugiſſem, quód cum poeta

-- Vitaſſem denique culpam.

At tu, ſeriò, qualis eſt amor ille tuus invulgaris

invulgaris de vulgo bene-merentium me eximis, & immenſum quid attribuis ſupra alios: gloriam gratiamq; mihi deberi autumans, vltrà luculentum quod adjungis præmium. cedam itaque tibi, & (quandoquidem adeò valdè vis) concedam me nonnihil commeruiſſe; illud vero quodcunq; fuerit (oppidò enim fuit exiguum) abundè abs te remuneratum, vel eo ipſo quòd nullatenùs remuneratum dicis, dico. Siquidem (mittamus alia) vnicus ille puriſſimus animi adfectus, illa ad me amandum conſtans & propenſa admodùm voluntas, ita me ament Muſæ! mihi Iovis inſtar eſt theſauri: nec quidquam eo deſiderabilius eſſe, aut pretium magis pretioſum operæ noſtræ reddi poteſt. deſine igitur poſthac, vel tuam compenſandi impotentiam cauſſari, vel meam commerendi facultatem verbis augere: prævalidum amicitiæ vinculum ſufficiat, quo mutuiter inter nos non benè velle ſolummodò, ſed etiam benè mereri tenemur; et ſcito me citra fucum eſſe tuum. à quo ſaluebis. Stalbrigiæ. 14. *Mar.* 1602.

EPIST.

EPISTOLA 27.
Eidem.

QVid tuam deceat fortunam optimè noſti. Romanus ille Sophos id te olim docuit: vnum eſſe malorum ingentium levamentum, pati, & neceſſitatibus obſequi. alti eſt animi inferiora iſthæc ſpernere: nec minus prudentis nō niſi ad vſum cum modeſta ſollicitudine curare. caduca, incerta, vilia, non ſunt digna quæ parti diuiniori animo ſc. negotium aut moleſtiam impenſiùs faceſſant. quo magis conſultè à te factum cenſeo, dum parti vtrique propria maturè mandas officia: itàque rationem inſtituis, vt mens ſolam virtutem ſuſpiciat, ardua & cœleſtia ſpiret: inferiora iſthæc & ſibi cognata corpus. Vtinam ſic vitam vbique ordinarent ſuam ac diſponerent noſtra Iuventus! Sed vouere hoc facile, ſperare non item. Tu igitur perge quo cæpiſti pede, rectà ad immortalitatem. ſed Heus! Franciſcus noſter quid agit? num valet? num redijt? ſcribe. Et quod poſtremis addere animus erat proximis inſere. Vale. *Oxon. Novemb.* 8. 1602.

EPIST.

EPESTOLA. 14.

Eidem nuper Marito facto.

FAma vti video antiquum obtinet, lingulaca ſemper eſt, nec quicquam ne reſciſcant homines vel à remotiſſimis harum terrarum angulis diu occultari patitur. Præpropera tamen aliquando eſt, & incremento ſuo præcox vltrà modum. Idque adeò in cauſa eſt, quod ſæpenumerò minùs certa, minus clara, blattit, ſepenumero minùs vera: qualia tunc (Iane ſuaviſſime) cum Verũ tuum in pædagogium, h.e. in piſtrinum coniectum nunciavit. ludos te fecit qui me Magiſtrũ Ludi dixit, aut coniecturâ propriâ aut rumore alieno hallucinatus. haud averſor tamen, imó lubens (quid enim inficias eam?) hanc ſervitutem ſervire decreveram, quandoquidem eò nuper Oxoniâ ritè evocatus mihimet ipſi videbar. Neque Spartam exiguæ aut parvæ rei dignitatiſve vnquam putavi, florem iuventæ, ſpem alteram reip. atq; eccleſiæ, per artes ſibi fingendam formandamque, ad virtutem ac pietatem ſuſcipere.

ſuſcipere. Animos & mores puerorum inſtituendo quiſquis operam navat, ea ſi fœliciter ſuccedat, grandem init gratiam tam ab eccleſia quam à repub. Verum enim verò quod me valdè macerat huc vſque differor expectatione vanâ, damna temporis mei patior haud leuiuſcula, & impos voti Oxoniam reſpicere incipio. vndè id? inquis. Hinc, (ſi quid veri apud mures iſtos Palatinos vt quidam non ineptè vocat) quod de iure electionis & approbationis certatur: venerãdus Præſul tanquam ſuũ vendicat; ciuis noſter ſuum adſerit: cui res cedat adhuc in dubio eſt. Multi nugamentum pontificale appellant, & quod darem invento opus eſſe aiunt: ego nihil affirmo. Hoc tantùm opto, quamprimùm hiſce pedicis expediri, nimis enim diu animi pendeo. Sed audi. Vnum eſt quod te exoratum cupio. Poſt dies jugales tuos, quos fœliciſſimos indulſit (& ætatem indulgeat precor!) æternus Deus, nullo Tuam carmine compellaverim; hoc inquam ſerió apud eam excuſatum velim. Et ſi placeat hiſce verbis. Muſæ poſtquam aliquandiu neglectæ fuiſſent haud adſpectu me ſuo dignantur, immô ſpernunt tanquam profanum, ſupplex licèt eas

invocave-

invocaverim: ſed erit ſpero cũ rurſus litavero, caſq; propitias habuero. interim quaſi ſtupenti liceat mutuam fœlicitatem veſtram, non invidere, verùm admirari magis; O quale par! quam rarum, quam dulce ſapit!

Fœlix quæ tenerum vexavit ſponſa maritum
Et quæ te fecit prima puella virum.
Fœlix qui tenerâ ſponſus vexare marita
Quemq; Hæc iam fecit ſola puella virum.

Quod reliquũ eſt ſaluete, ambo invicem oſculamini, meq; porrò amate, veré veſtrum. *Kal. Novemb.*

Epist. 29.

Franciſco Rouſæo amico intimo & plurimùm colendo.

MVltum lætitiæ nobis heri contigit (mi Franciſce) ex adventu dilectiſſimi N. tuomei: tantumque gaviſi ſumus, vt niſi tu ipſe vnà adfuiſſes non poſſet eò quicquam accedere. Verùm hoc noſtrum gaudere caducum eſt (auguror)

gurer) & modicæ durationis: nam ſic ſolet blandiens fortuna hodiè ridere, crás pro more ſævior futura. diſtrahemur ſcio brevi iterùm, & longiuſculè abinvicem abripiemur, ſolatij tamen haud parum hinc, quòd corpora tantùm divulſi, animis cohæreamus; nec in partem illam noſtri meliorem fortuna vllum habeat imperium. quod præſentiam tuam & adfatum cis paucos ſpondes, gratiſſimum eſt nuncium. dehinc vt matures non ceſſamus rogare: quo enim citiùs veneris eò nobis volupe magis feceris. de Inſtitutore Adoleſcenti Nobili conciliando imprimis cogitabimus. nam vereor vt mihi ipſi liberum fuerit, alijs nimis mancipato. gratas tamen ago habeoq; gratias quòd nondùm amicam illam de me curam depoſueris. quot jam anni ſunt facti poſtquam tu me tanto amore, addo et beneficijs tuum feceris? tentabo itaque, et ſi me vinculis quibus nunc teneor commodùm expedire potuero, tibi ſine mora indicabitur. interim vale.

Oxon. 6. Id.
Iun. 1601.

Epist. 10.
Eidem.

VErum eſt (mi Fran:) quod ego nuper ad te ſcripſi; ſi quid nos gaudemus, breve & anguſtum eſt, ſi quid dolemus prolixum & diuturnum: pronum adeó & procliue in cogitationes injucundas recurrere, & in fortunam ſequiorem relabi. id ita eſſe docebit N. noſter qui ſubitò nos dereliquit, quaſi vereretur ne dum cupidè nimis eius frueremur vſu & familiaritate, nauſeam pateremur. indicabit etiam tibi alia rerum acerba, quæ noſtram lætitiam interruperunt; fortè tamen lætiorem poſtmodùm recurſuram; Nam gratius eſt quod per intervalla ſuavitatis habetur: & lætitia magis læta cui nonnihil amaritudinis nonnunquam intercedit. Lubens igitur omnia fero, vt qui ſpei plenus gaudia tuo adventu duplicanda confidam. age ne redeat ille ſolus, veni tu quoque, atq; ita Vale. Raptim. *Oxon.* 10. *Kal. Quintil.* 1601.

Epis.

Epistola 31.
Eidem.

VT ſcias quantum de me ſis meritus (chariſsime Franc.) poſtremo tuo beneficio, quo gratiam atque honeſtam conditionem apud Heroinam prænobilem mihi conciliaſti, narro tibi. Hûc vſque ſingula fluunt ex animi ſententia; & ſpes eſt me hîc pretium operæ non mediocre facturum. quinetiam niſi blanda fortè verborum ſpecies adſpectuſque humanioris amabilitas, os mihi ſublinat, argenteam (credo) de quâ locuti ſumus venam, haud prorſus aridam inveniemus. certè, dum hæc meditor, meâ mente haud ineptè dictum olim, & ij norunt qui ſibi ſapiunt: *auricum & oculorum fructus caducus, largitatis æternus*. æternus? inquis tu: imò, & is quoq; valdè momentaneus, niſi à fonte perenni. ego illud etiam concedo: ſed diutiùs tamen durat, & pondus aliquod in ſe habet, quo caret evanida illa mellitorum ſermonum aura. atque ego quidem hîc pauliſper expectandum cenſeo,

vſque plenilunium, quod vbi advenerit, non dubitandum (aiunt) quin plenus rivulus ſeſe diffuderit in apertos meos ſinus. interim nequicquam meæ me ſortis pœnitebit; præſertim cũ amari, coli, diligi me ſentiam á tam nobili proſapiâ. ſed et ſedulam navabo operam vt omnes me meorum laborum tale ſaltèm præmium meritò reportaſſe teſtentur. hæc tumultuariè ſcripſit. Tuus, á quo ſaluebis. *Octobr.* 12. 1601.

EPISTOLA 32.

Eidem.

LIberabo fidem, et quia tam amicè res noſtras ſcire deſideras, earum narationem vlteriùs non differam. Sextus hic menſis eſt, quo apud Heroinam meam voto ſimul et ſtudio filium ejus inſtituendo deſudavi: didaſcali munus haud inexpergitè obij: nunc officia Ciceronis enarrando, Hiſtorias nunc Romanas illuſtrando, improbuli ſubindè jocos Phœdri exponendo, aut lepidiſſi-

lepidiſſimi Martialis Epigramma ſelectum aliquod interpretando;

--- Nam ſtudium puerile fatiſcit
Læta niſi auſteris varientur --- Sed quid dicam? imbrem in cribrum me mittere? littus arare? nihil agere? certè, quod res eſt ſcribam: eluſam ſcilicet expectationem noſtram, neque ad vota ſucceſsiſſe faſtidioſos labores. præcocem et præmaturum initio verebar fructum; ecce lentum, et ægrè ſeſe exerentem. frontem adoleſcentis ſi inſpicias, ſermonem etiam ſi leviter attendas, majora promittit, cum hic, tum ille; et vulgi quidem animos in ſpem amplam erigit. atqui, frons prima decipit plerunque; vti et ſermo ſæpè. vin' quid obſtet conatibus? quævè fuerint cauſſæ tardi illius progreſſus? audi; partim â natura, et ingenio: partim à voluntate et adfectibus. illa memoriam negavit et habilem quandam (vt ita dicam) δύναμιν, hæc laborem fugit et ſpinoſæ impatiens diſciplinæ eſt. Verum noſti, indulgendum eſſe hiſce talibus, neque acriùs vrgendum. ætas ſapientiam ſecum feret, rerumq; tam neceſſariarum fortaſſè majorem et curam

& amorem. ego autem intereà temporis, pendeo miſer, (quod tacitum apud te relinquendum non eſt) nec ſatis ſum certus quo me vertam. tædet me imprimis operæ deperditæ & diligentiæ incaſſùm ſedulæ. dein, revocant me Oxonienſes mei; tum, Heroina, comitate, candore, humanitate ſingulari me retinere ſtudet. cui auſcultem? poſthac arbitrabimur: tu vale. Stalb. *Feb.* 14. 1602.

Epist. 33.

Eidem.

Pænitet me (Franciſce optime) diei illius quo tibi abiturienti memet ſubduxerim. totum quod indè ad hoc vſque temporis excurrit, perijt prorſus: falſumq; me habuit blanda ſpes, ſic vt altâ jam curâ, & huius loci tædio ferè maceã miſer. vin' tu ſeriem audire totius negotij? quid ni velis? res enim noſtras (quod expertus ſum loquor) æquè ac tuas curare & procurare, tibi ſolenne eſt. quam poſſum itaque in compendium conferam. inter ciues noſtros poſt ambitum

ambitum & prensationem nonnullam successit probè. Scholæ Rector conspirante suffragio, summo omnium consensu adlectus sum. ad Rev. Epp. illicò me confero: vt luculentâ ejus adstipulatione quod factum esset confirmare dignaretur submissè rogo. firmiter ipse renuit, & rationem insuper addit. nempè id juri suo fraudi fore, si ita vti proposueram petiueramq; mihi indulgeret. *meum* (inquit) *est eligere, meum reiicere, non confirmare aut comprobare tantum. quid imperitum illud ciuium vulgus nominas? nihili sunt; nec te norunt, aut dijudicare queunt. ad me solum res tota devoluatur, volo; ego solus surrogabo*: hæc R. Ep. ego re infectâ, expectatione cassâ, domum redeo: ibi statim, comitia fiunt, accedo; interrogatus, enarro; idq; exertè responsi quicquid retuleram. quibus auditis, oppidani oppidò ferociunt, vnâ voce conclamant omnes, *Enimverò non est ferendum: iura, libertatesque nostras sartas tectas pro virili præstabimus; emat sibi Ep. quibus illudat, nobis palpum obtrudere non poterit.* ego taceo, & subitò memet è turba subtraho. ex hinc tanquam claudus sutor domi sedeo, nec quo res eveniat adhuc certus

ſcio: vbi noverim ipſe noveris, interim ſalue à Tuo. Kal. *Novemb.* 1604.

Epistola 20.

Eidem.

QVod nondum verſus Occidentales noſtros iueris lætor maximè: ſpes enim eſt nos alicubi inter nos brevi viſuros, & mutua (ſic enim cupio vehementer) habituros colloquia. fidum & conſtantem noui amorem tuum, nec ſi quid in te fuerit auxilij conſilijue, invidere ſoles. fluctuabant res noſtræ Plim. (quod te non celaui) & in ſuſpenſo diu erant; vndè mihi longior ibi mora quam putaueram; expediui me tamen, & Oxoniam demum redij. quod quam gravatè à quibuſdam impetrauerim in aurem dicam. de facto, rectène & in rem meam, an ſecùs coràm arbitrabere. difficilis & anguſta planè nobis emergendi via: nec nobis ſolùm ſed & omnibus, quibus non ſuppetit aureum illud eloquentiæ flumen. vt quid meritis ſperamus? certè ſi conjecturam nobis facere liceat in peius ruere videntur omnia.

Remp.

Remp. literariam ſpectas? quo ævo jacuerunt magis honeſtæ artes? aut ij etiam qui eas ſyncere profitentur? & quid religio? religio eſt dicere. verbum tibi ſat erit, qui nunc-hominum mores perquã meditatè tenes, & doles. quid de me fiet adhuc deliberandum eſt. Tu me aut re aut votis juvabis, ſcio. Vale. *Oxon.* 4. *Non. Mart.* 1604.

Epist. 35.

Henrico Walliſio viro mihi æternùm colendo.

NVperrimè ad nos rediit Treneman-nus meus, literas à te ſecum ferens deſideratiſsimas, multumq; de tuâ humanitate & liberalitate prædicans. Eius etiam cauſâ me tibi plurimùm debere ſentio, & agnoſco. adeò non in me-ipſum tantum, ſed in alios etiam quos mihi probatos noveris munificentia tua propagari amat. gratias itaque tibi multò gratiſſimas ago, habeoque cum ob hoc, tum etiam, quod ſpectatiſſimorum virorum benevolentia & amore, purâ tuâ conciliatione fruar, præſertim

præſertim doctiſſimi Archidiaconi & ornatiſſimi Moylij. quàm non pigebit horum ſimilium amicos & benevolos animos ſemper habere! imò maximum lucrum habebo talium familiaritatem quærere, honeſtatis maximam mercedem, adipiſci. vitæ Academicæ fœlicitatem (vt nunc res fluunt) haud ignoro, & ô mihi longùm frui contingat! nec vſquequaq; tamen ex animi ſententiâ vivo. qui enim poſſim tot ac tantis preſſus anguſtijs? quibus levigandis & laxandis tu opem largam & promptam ſubminiſtraſti, addo & frèquentem. ſic vt quòd hoc ſeptennium & ſuprà hîc me tolerare valui, tibi inter primos meos Benefactores acceptum referendum profitear: quid rependam? non habeo, præter vota; quæ ferventi pectore, animitùs fundo. Vale. *Oxon. Septemb.* 7. 1600.

Epestola. 36.

Eidem.

LIbrum de ſacrificio Miſſæ dudum edidit, vir longè nobiliſſimus Philippus

pus Mornæus Pleſſiacus. doctum Iuppiter & laborioſum! cui libro (vt cum Plauto loquar) lumbos diffractos eſſe vellent Ieſuitæ, & Sorboniſtæ: nec immeritò vellent. ruit enim monſtrum illud ſuum quod adorant pontificij omnes, et illuc vndè primò execrandum extulit caput brevi corruet, vti ſpes eſt.

Nunc etenim manifeſta fides, Danaumq́ (pateſcunt
Inſidiæ. ---- Sed verſutus ille veterator, vt ſartum tectum conſervet Idolum, gnaviter laborat, multijugiſque rationibus vtitur. nunc veritatis lumen obfuſcando, nunc Autorum fidem elevando, ſpecioſâ nunc pietatis imagine, rudes, et homines imperitos ludificando. Indicium, aut ſpecimen cupis? vide ſi placeat diſputationem quandam recentem inter Ieſuitam et Verbi miniſtrum, quam ad venerabilem Archidiaconum miſi. hanc etiam velitatiunculam ſuper libro prædicto lege, vtriuſque tibi copiam faciet qui has ad te ferre promiſit. alia poſtmodùm expectes. interim vale.
Oxon. 7. Kal.
Decemb. 1600.

EPIT.

EPISTOLA 37.

Georgio Hockinſio viro optimo, patri colendiſſimo.

SIlentium ego ſedulus excuſarem (vir optime) & officij huius lentitudini ſupplex veniam rogarem, ſi ex infrequẽtiâ literarum adfectum in te meum æſtimandum putarem. at cum obſervantiæ diligentiæq; meæ ſecurus videaris, quorſum pro defectu paginarum quicquam adſtruetem? pectoris fidem poſtulat ſynceritas amoris, non delinimenta ſermonis. tua erga me humanitas liberalitas & amor verè paternus, totiens animo recurſant, meq; in tantum tibi obſtrictum teſtantur, vt niſi brutum mihi pectus foret, tui non poſſem vſquequaque non meminiſſe, et de te quotidiè cogitare. vtinam tibi nota forent mea vota! et ſpero olim innoteſcent, cum ex factis, apertiſq; indicijs pronunciare potueris haud immemorem aut ingratum me fuiſſe. Sl. tuum noſtræ opis indigum eſſe non patiar, ſi quà iuvari poſſe contigerit meo adniſu; meæ autem facultates

tates quam ſint arctæ quamque anguſtæ te non fugit; faciam tamen quod in me erit, nec deero vbi vſui eſſe aut adjumento potuero: vt ille etiam ſciat me totum eſſe Tuum Vale.

Oxon. 1602.

Epistola 38.

Richardo Carpentero Amico intimo.

QVod vix perſuaderi poſſet viro ſapienti, hibernâ hâc et rigenti tempeſtate, en tibi (ſuaviſſime Richarde) Verum tuum navigium conſcendentem, et fors (quis enim novit Altiſſimi conſilia?) te ſupremùm compellantem. Res crepera nimis et periculo plena, tumultuoſo mari ſeſe committere, idque fragili admodùm rate, vbi inter nos et æſtuantes devoranteſque vndas --- *tabula ſolum diſtinguimur vda.* vbi vt alius Poeta loquitur, *tam propè quis lethũ quam prope cernit aquã.* ſed huc me adigunt Mareſci noſtri juxta et meæ neceſsitates. accedit et oportunitas quæ

quæ me invitet, navicula (vt ita loquar) in viam prona, comites lepidiſſimi, & venti ſecundùm ſpirantes. porrò breviſſimus hinc eſt traiectus

--- Si Iupiter adſit
Poſtera lux navem Ierzæis ſiſtet in oris.

Nihil me terret aut metu ſollicitum habet. Aeternum in cœlis ſedere novi terræ mariſque moderatorem: novi et me Ei curæ eſſe, emptum peculiaremque factum, non vili pretio. hâc igitur fiduciâ flocci pendo

Et Triſtes Hyadas & rabiem Noti.

Tu me votis tuis adjuua. atq; ita vale. è Novo portu Vectienſi. *Ian.* 13. 1603.

Epistola 39.

Carolo Fitzgeofrido amico & fratri chariſſimo.

HIlarium tuum è diſsitis redeuntem locis excepit nuper et retinet Oxonia. id te certiorem facio, vt quam primùm adcurras, aut ſcriptis ſaltem paginis reduci et diuinâ ope ſoſpiti gratuleris. vis peregrinationis noſtræ rationem reddam? id inpræſentiarum non vacat,

vacat, plenè & particulatím facere. in adventum tuum, quem brevi futurum & voueo & ſpero differam. habe tamen breviter vndè gentium revertor. meminiſti me in Gallias, inſulaſque noſtras proximè Gallijs adſitas iter dudùm meditari: illûc me recens oportunitas valdè oportuna, dum Vectæ feriabar oblata invitavit. Comites mihi votiui contigêre admodùm facundi. remeante & curſum renouante anno aggredimur, navim cóſcendimus, oram ſoluimus. at vide quibus auſpicijs: leui primùm vento provehimur, mox increbreſcunt auræ, & ad votum vſque tenduntur vela. ſed cum jam paraſangas ſive leucas circa quatuordecim tranſegeramus, poſtquam vt Virgilius inquit

-:- *altum tenuere rates nec amplius vllæ*
Apparent terræ, cœlum vndique & vndique pontus.

Poſuere venti, magna ſubijt malacia, totam noctem nihil quicquam procedimus. vbi vero noctis atrum diſcuſſerat nubilum Iubaris exortus, ecce! derepentè belluoſus intumeſcit Oceanus, vtrinq; maris fluctibus abluimur, & turbidis caurorum flatibus retro agimur. quid multa? fruſtrà adnitimur contrà: ventis adverſis,

adverſis, mari ad id tempus invito, imò infeſto: vnicum mihi ſupererat refugium; Deum immortalem ſupplicijs onero: annuit ipſe propitius, et intra biduum me ſaluum in Vectienſem Inſulam repoſuit. indè domuitionem paro. et Oxoniam diuinâ fretus miſericordiâ incolumis venio. cætera cum veneris ipſe. interim ſalue. *Oxon. Feb.* 27.

EPISTOLA. 40.

Richardo & Franciſco Rouſæis S.P.

VEctam nuper inviſimus, maria etiam tentauimus, Inſulam Cæſaream è longinquo proſpeximus, terram ipſam ob aduerſa ventorum flamina attingere nequiuimus. horribiles experti ſumus procellas, et tempeſtates ab occidente periculi plenas. Deus autem nobis adfuit præſens, numineq; ſuo tutos præſtitit et incolumes. abſque eo propitio medijs fluctibus perijſſemus omnes, nec Verum veſtrum vnquam reducē vidiſſetis. non vos latet (chariſſimi) Supremo curæ eſſe omnes ſuos. per mare, per terras olim voſmet mirè tutatus eſt deduxitque

duxitq; ſaluos & ſoſpites domum. Clementiæ ejus ſpecimina quælibet dies ſuppeditat luculenta. Potentiæ veſtigia vbique apparent non languidæ fidei: ſed inter illos aquarum tumores, ô quam mira! juxta illud Regij Prophetæ

Monſtrat in immenſo miracula ſæpè profundo.

Verùm nobis multa quotidiè geſta, adſiduo ſpectaculo deſinunt eſſe miracula, quæ tamen oculo magis intento vſurpata, non poſſunt non impendio admodùm animos hominum capere, & in ſtuporem adigere. iſta vobis non ſunt obſcura, & quorſum longiora facerem? quód reſtat, mecum gaudete, & diuinam efferte miſericordiam, quæ ab atrociſſimis tempeſtatibus adeoque à mortis ipſius faucibus liberâ adſeruit manu Veſtri amantiſsimum. *Oxon. Prid, Kal. Mar.*

EPISTOLA 41.

Clariſſimo viro Georgio Hakewello Doctori Theologo.

FIngere aliquid aut comminiſci quod longiuſculę taciturnitati meę

prætexerem nihil videtur opus. (Clariſsime Hakewelle:) teipſum enim haudquaquam latet, quibus occupationibus ſtudijſue ego plerumq; diſtineri ſoleam; ſic vt intermittenti officio, vel etiam aliquando ceſſanti paratiſsimam apud te veniam eſſe nullus dubitem. ſed nec tuorum in me meritorum obliuionem ſubrepere poſſe facilis ſuſpicio erit, quoties memineris, quibus me jampridem amoris tui pignoribus obſtrinxeris, & nuper etiam imprimis, vbi Apologiam illam à te recens ſcriptam, mihi donare peramantèr dignatus es: quo munere caue mihi quicquam abs te maioris pretij gratiuſue acceſſiſſe putes. effabor ex animo: vno illo libro, nihil eruditius, nihil elegantius ſub noſtro hoc cœlo natum meo quidē iudicio viſum eſt. miſſa enim vt faciam quæſtionis ſubiectæ gravitatem, narrationum perſpicuitatem, argumentorum vim, teſtium denique quos citas & autorum, dignitatem ſimul & numerum: Deus bone! totius methodi ἀκρίβεια qualis & concinnitas? rerum materiarumque quanta ſeges? doctrinarum quæ varietas? atque inde quam ſalutaris & oportuna voluptas? expertus loquor; vtpote qui poſtquam

à

à munere publico vacare paululum licuerit, crebrò huc me contuli: sine tædio et fatigatione omni, hîc sæpiùs quasi inambulaui; neq; facilè vnquam pedem retuli nisi cum fructu, et spico aliquo melioris literaturæ, è cultissimo vberrimoq; hoc agro tuo decerpto. macte esto (vir venerande) et perge tu de repub: literariâ, deq; Ecclesia Dei vlteriùs mereri, præsertim illam alteram, quam promittis Apologiam adijciẽdo: ego interea loci tibi gratias pro hac primâ, stylo dicere iuxta et animo habere, summas haud cessabo: vouebo etiam vt æternus ille δωτὴρ ἐάων vires tibi porrò suppeditet et vitam, quo nos illâ etiam secundâ maturè compotire possis. Vale *Oxon: Prid. Id. Sextil.* 1627.

Epistola 42.

Guilielmo Shamlero Amico meo perbenigno.

SAlvus et sospes diuinâ fultus prouidentiâ domum veni: vbi ne tantillo quidem damno aut incommodo me læsum repperi absentiâ meâ, quamvis vltra

dies præſtitutos aliquantulùm productâ: cautè & amicè mihi proviſum eſt vtrinque: domi à familiaribus, peregrè à teipſo: cuius promptam humanitatem, ſingularem amorem, benignitatem valdè munificam, ô quam lætus nunc recolo, & inter meos deprædico! reuerà (mi Guilielme) vix dici poteſt in quantum me tibi obligaueris, obnoxiumq; reddideris: neque patiar vt vllâ vnquam oblivione tenuetur, hujus beneficij tui memoria. Peſtis per Dei miſericordiam hîc indies langueſcit magis, & niſi quòd obſcuris quibuſdam latitat in angiportis, ſecuri ſumus. vtinam & vos ita! frequentia habemus documenta noſtræ mortalitatis: vbique ferè in memoriam reuocamur, quid ſimus, & ad quid nati ſimus.

Ibimus: & matrem ſemel ibimus omnis ad illam
Quà princeps generator Adam fuit editus.

Quod ſcribis, tuà multùm haud dubiè intererit, ſi quoties vacaverit ſtylum hoc modo exerceas tuum, & ſermonem Latinum cuius adeò incaleſcis amore familiarem tibi facias magis. dabunt hoc vſus & experientia. dominantur enim

in

in artibus, in hâc potiſſimùm. adſueſce tantùm, & continuo fiet quod cupis. certamini quo ſæpius adierimus (inquit Seneca) fortiores erimus; & ſimili prorſus modo, quô ſcribendò crebriores ſimus, eô promptiores demùm evademus. De me pro qualibet occaſione huiuſmodi expectes aliquid velim. hujuſmodi inquam, non ſollicitum, non tortum, non diu tractatum id nullus expectes: in his talibus fundi verba putes non fingi: amorem vt indicemus laboramus, non ingenium. Tu me noſti, quam ſine fuco ſim et quam merito Tuus.

Oxon. Mart. 7. 1603.

EPISTOLA 43.

Eidem.

SCripſeram alias (mi Guilielme) & commodùm obſignaveram adhuc è manu calentes, cum breves illas tuas ſed verè aureas ad me tulit iſte tabellarius veſter: quas vt aperuiſſem, inſpexiſſem, legiſſem, ô amorem! exclamabam: ô paginam charactere pulcher-

rimo exaratum! antiquum hic obtinet, et viget vsque eius in me munificentia, parcus verborum, largus munerum. risi herclè (mi G.) mecum, et tacito gaudebam gaudio, cum ex literis tuis resignatis quasi imbrem aureum in gremium meum decidentem adspexi, et facile veniam brevitati tuæ indulsi. nolo autem id culpæ quantulumcunq; sit (perexiguum enim esse affirmo) ingenio tuo impingere, quod obstrepentibus aliquando curis alijs, aliquando temporum angustijs imputandum est: et videbis, quam hic ego tui imitator fuero sermonem arctando et oppido in compendium cogendo. vnicum enim post ingentes gratias addam. Salue.

Epistola 44.

Edoardo Faerbraceo meo. S. P.

SVbpalpandi, adulandiue causâ nullus omninò loquar. haud temerè mihi quidquam lætius accidisse memini eo die quo primum in notitiam tuam perveni (eruditissime Edoarde) quippe magnum semper duxi et perquam laudabile

dabile à viris doctis pijsque æstimari, eorum familiaritate frui maximum lucrum. rapuit me humanitas tua & doctrina in amorem tui; præsertim verò politioris literaturæ copia quam ante decennium cum adhuc in Academia versabaris, in te suspexi. quod si vlterius perrexeris & me inter tuos seriò connumeraueris, faciam (si quid officia potuerint) vt amore tuo me non indignum judicaueris. huius animi mei indicium & pignus principale sit hoc quale quale scriptum; cui adjunxi libellum Santaldegani lepidum & (si quid ego iudico) eruditionis plenum: memini inter nos de hoc ipso incidisse nonnihil sermonis. habe igitur, & me quod facis amare perge. *Oxon. Iul.* 20. 1604.

Epistola 45.

Carolo Fitz-geofrido meo. S. D.

SVbitanea est hæc scriptio, & reverâ nisi fors novum obtulisset libellum nulla fuisset. nec tamen amicitiæ aut officij observantissimus esse desij: nosti enim tu, quam frequenter soleam huic

muneri ſcriptorio operam impendere. verum ità me vndiq; impediunt negotia poſt recentem Oxoniam reditum, vt mei juris difficulter adhuc eſſe queam: tui tamen (cum ita velit Occaſio) libenter ero, & novantiquum hoc opus literis meis ſtipatum mitto. Authorem requiris? fama Camdenũ ait, quam veré neſcio. ſi tali tantoque viro dignum fuerit, ipſe cum legeris arbitrabere: neq; id ſolus feceris, Iubar illud occidentale (Careium puto) adeas, eique nova hæc & novata communices: ſagax ille indagator, & doctus leporum arbiter. gratum ſcio præſtabis officium ei, mihique vnà ſi meum nomen viro quem ſuſpicio venerorque commodùm inſinuaveris. tantum eſt. vale.

Oxon.

Epist. 46.

Eidem.

ADventum tuum per hos decem continuos dies tui deſiderabundi expectavimus: quod non ſcripſimus id in cauſa fuit. quis enim Carolum ab ſuo Hilario

rio tam diutulè tamque propè abeſſe ſuſpicaretur! acceleres tandem: facto ſic eſt opus: res enim noſtræ nunquam magis dubiæ, & (Plautinè loquar) inopioſæ conſilij. ſpe fruſtratâ, re infectâ Exoniâ redij. miraris? moras nectit Epp. & cauſſatur neſcio quid. ſibi acceptum referri oportere ait, ſi quis hûc pædagogiarcha acceſſerit. hinc ego nihil faciendi compos hæreo. jura libertateſque defendendo feroces oppidani. Morus noſter intereà ſtupore languet quò res eveniat præſtolabundus. ſed facilis & procliuis eſt conjectura, hoc quod nunc eſt ævum experto, tuq; ſatis noſti (mi Carole) quale genus hominum nonnunquam januas atq; aures ipſas virorum magnatum circumſepiant. apud hos niſi benè nummatum habeas marſupium tanti eris quanti fungus putidus. ha! mi Carole, in quod ſæculum incidimus? quanto virtutis, & meriti & dignitatis neglectus ne dicam faſtidium? ſed querelis haud adeò nunc vacat. iterum dico. accelera atque ita vale.

Plim. 6, Kal. Sep. 1604.

EPESTOLA. 47.

Eidem.

MVltum ſollicitudinis injeciſti mihi (mi Carole) poſtremis tuis literis, vtpote quæ de te cognitu valdè amara detulerunt. non potui (mihi crede) non aliquantulum inhorrere dùm luxati poplitis ægritudinem -- *Stans pede in vno* deſcribis. quam multa homini accidunt in vita quæ vult quæ nevult? imò vt alibi Comicus: nimio celerius venire ſcito, quod moleſtum eſt, quam id quod cupidè petas. expecto igitur, & voueo quotidiè, lætiora: quæ à te longùm differri nolim. quin vbi primum valetudinem tuam rurſus in ſolidum locauerit pax diuina: me quoque literis tuis incunctanter facias certiorem. interim ne ſis neſcius; pulcherrimum illum ingenij tui fœtum (Panegyricum intelligo) accepi, avidè & calidè legi, iterumq; iterumque relegi; neque enim ſatis erat vidiſſe ſemel, ſemel legiſſe -- *Iuvat vſque morari & conferre gradum.* imò propriâ deſcripſi manu & amico communi donavi.

verbo

verbo dicam, vndè etiam faceſſat adulatio: carmen eſt (ſi quid in me judicij ſit veri) numeris omnibus abſolutum & (quod neſcio quis, olim dixit) ab ipſis Muſis elaboratum. quam acuta omnia? quam apta? quam expreſſa! equidem vel hoc nomine tibi ingentes habeo gratias quod huius Poematij me exortem eſſe noluiſti. cura vt valeas. *Oxon.*

Epist. 48.

Rich. Carpentero Theol. Doct, Amico intimè colendo.

EXpoſtulationes illas quibus in itinere, te nuper ab Ambroſij vico leviter perſtrinxi, die proximâ ſi fieri potuiſſet revocaſſem. pœnituit enim illicò querelarum calidè effuſarum. neque tamen ambigebam, quin ab Hilario tuo omnia æqui boniq; conſuleres, etiam jurgia: ſerio tecum reputans illud *Symmachi*, neminem flagrantius amicitiam colere; quam qui iraſcitur negligentiæ. Sed abundè jam ſtyli tui ferias redemiſti, & largo epiſtolarum mellitiſſimarum fœnore me obligaſti: quid quód

&

& aurum, tuque vxorque tua longè optima benignè addidistis, quasi præclari eloquij tui nectar omnem offensiunculam satis obliterando non foret. confidite, confidite, in diuersam res jam redijt conditionem, & gratias tibi agere habereque maximas oportet, quem nuper amicè adeò objurgare ausus sum. facio (mi suavissime Doctor) idque nudo hoc & simplici alloquio, sed fidâ & constãte mentis synceritate. concinunt vxorque socrusque filiusque mei, meisque verbis grati animi adfectum denunciari cupiunt. frustrà estis, si quid vlteriùs à nobis expectetis, quos ad referendam vicissitudinem pares haud temerè, fortuna præstare potest. quod possumus, Deum veneramur & quæsumus, Teque tuamque tuosq; omnes servet incolumes. valete. *Oxon.* 13. *Jul.* 1621.

Epist. 35.

Thomæ Godwino Th. B. viro undequaque doctissimo.

LIbrum tuum nudius octavus accepi (clarissime Godwine) doctũ Iuppiter!

ter! & laborioſum. ita me ament Muſæ vt mihi haud quicquam animo magis gratum acceſſerit à multis annis. amo te de hoc amore, de hoc honore quod me dignum tali dono æſtimaueris. ô ſi facultas ſuppeteret reponendi! voluntas quidem adeſt, prompta & lubens, quæ etiam pro tenuitate noſtra, olim (ſpero) aliquid eſt tentatura. quandocunque, ſufficiat rogamus, ſi fidem fecerimus nos etiam inter eos eſſe, qui te meritò ſuſpiciunt & verè colunt. ità te Tuamque à me plurimùm ſaluere jubeo.

Oxon. 8. *Mart.* 1624.

EPISTOLA. 50.

Thomæ Farnabæo viro eruditiſſimo juxta & clariſſimo.

SYngraphàm meam accepi (clariſſime Farnabæe) abs te remiſsam, reſciſsam diſsolutam. ecce tamen alteram, novam, quæ teſtetur me tuo ære nondum prorſus exiuiſse. immenſum quid tibi debeo, & lubens porrò debebo: gratiarum ſcilicet, amoris, & cultus. omnia infucatè, ſicut promptâ tua humanitate, alijſque nominibus

nominibus, à me dudùm promeritus es: omnia inquam hæc tibi compendioso hoc scripto infucatè defero; & lubens nihilominus vsque debebo, vt scias me esse verè Tuum. Vale.

Epistola 51.

Marmaduco Angromo meo. S.P.

NOn est mortalium quispiam (lectissime Angrome) cujus ego amoris erga me, aut sæpius aut libentius repeto memoriam quam tui. multi sunt anni quod nos inter nos novimus, dileximus: nec pauca vel obscura ejus vtrinq; viguerunt monumenta. De meipso sanè dicam quod res est: quotiescunq; scrinia excutio mea, luculenta scripta tua (quæ tanquam sacra quædam κειμήλια religiosè custodienda sepositeram) imprimis occurrunt: hæc & amorem in ijs tuum, vehementi quidem exosculor affectu: grauiterque subindè vel fortunarum vel locorum injuriam accuso, quod per tot continuos annos, adeoque lustra, omnis renovandi hujus officij oportunitas sublata est: quare vix verbis dici potest

quanto

quanto cum gaudio hanc (inopinatissumò oblatam) arripui, calidaq; vsurpaui & mẽte & manu; quæ ne frustrà transeat (nam fugacissima est ac nimis festina) solennia illa tantum addere visum, salue mihi charissime, & vale. *Oxon.*

Epistola 52.

Iohanni Seldeno Icto veterum adeoq; omnium bonarum literarum doctissimo.

EXquisitissimam eruditionem tuam, multiplicemque doctrinam (clarissime Seldene) jamdudũ est quod ego sum oppido miratus; ex quo vid. libros tuos *doctos Iuppiter! & pereruditos* primùm legerim: promptam verò humanitatem singularemq; comitatem tuã nuperrimè expertus suspicere cæpi; cum me leuiter tantum notum, amanter compellare, ad te familiariter invitare, lautè etiam ac lepidè habere placuerit; idque inter conviuas, quos ego ingenij doctrinarumq; nomine, diù & plurimùm reveritus sum. fateor mihi non adesse quicquam cur me tanta dignatione afficeres, sed & eò magis

magis tibi me obnoxium esse fateor lubens, et porrò fatebor. age igitur, perge, meque (quandoquidem hebetiora non contemnis ingenia) dehinc si placeat inter tuos numerato: certè, non erit qui eximias tuas virtutes, raramque doctrinam colat magis aut veneretur: & quamvis amicitiam tuam satis promereri nequeam, animo tamen æstimare et justo suo pretio censere novi. tantundem eruditissimo Iamesio tuo, haud ita pridem ex occasione verbulo intimasse me memini, scriptâ nunc paginâ consignare placet. boni consule et vale.

Oxon. 7. Id. Ian. 1627.

Epistola 53.

Clarissimo viro Guilielmo Noyeo Iuris & omnis antiquitatis Consultissimo. S. P.

IMmerentem beneficij fuisse rarò quẽquam pudet; immerentem pariter et immemorem pudet semper pigetque quemlibet, cui aliquid ingenui inest aut honesti. ego quidem (vir clarissime) tantam moribus meis adspergi labem pati

pati non possum: ideoque noctu ac interdiu animo recursat, quam promptè, quã liberè & gratuitò mihi nuper consilio adfueris, addam & operà tuâ: eoq; magis miror tuam erga me benignitatem, quo magis meã cogito immerentiam. quid? an ad conciliationem tantæ gratiæ sufficisse putẽ, quod ego conterraneus tuus sim, ẽ Cornubia oriũdus? aut quod Academicus Oxonienſis? aut quòd olim è Societate Exonienſi, vbi tu adolescens optimarum disciplinarum liquorem hausto pleno imbibisti? an potius quod (vti Fundanus ille apud Plinium) *non studiorum tantum, sed etiam studiosorum amantissimus sis*, & perinde audias? scio quidem hæc omnia, mihi apud te profuisse, & profutura: sed maximè, quod justitiæ amicus & æquitatis, pro ea intervenire maximè laudabile, inq; eo grande operæ pretium esse arbitratus sis. patere tamen (vir clarissime) vt saltèm gratias tibi agã quas possim maximas, easq; vt æternùm debeam. facio hic libentissimè, & deinceps facturum spondeo: enixè porrò rogans, vt pergas defensionem suscipere justæ causæ, quæ sub tuo patrocinio, apud justum Iudicem, non potest non optatum exitum adipisci.

ita valeas Patrone doctissime, & me habeas amoris & obseruantiæ nexu tibi ætatem devinctum clientem.

Oxon. Ian. 18. 1627.

Epistola. 54.

Eidem.

DE primo & efficaci tuo pro me luctamine (vir clarissime) εὐαγγέλια narravit mihi per litteras affinis meus; causarum videlicet litiumque mearum curator sedulus. exindé etiam quam immensum in modum me tibi æternùm obligaueris intellexi. neque tamen oppidò festinasse me, (fatebor) vt pro insigni illâ operâ gratias tibi agerem. nam tanta mihi visa est meriti tui magnitudo, vt mea mente ingratus magis viderer si exiles quales nostra verborum mediocritas suppeditat, quam si nullas referrem. animum verò meum penitius tibi noscendum vt repræsentarem, id quidem operam præcipuè dandam putavi. hunc itaque scias (vir ornatissime) tibi libenter meritò devotissimum, beneficij religiosè memorem, eòque ad gratias

gratias agendas habendaſque pro facultate paratiſſimū: quin & addo, in tui patrocinij conſtantia impenſius fidentem. nam cum tam promptâ benignitate cauſam meam ſuſceperis, eam ne deſeras vereri, nec poſſum nec debeo. ideòque ſtultæ foret impudentiæ vehementiùs id à te verbis contendere, quod tam propenſa bonitas tua polliceri videtur. vnicum tamen aliud à me audire ne graueris: nempe, quod non meipſum duntaxat ſollerti tua hujus cauſæ defenſione arctiſſimè deuinctum habebis, ſed Aulam etiam Gloceſtrenſem vniuerſam, quæ licèt Mineruam ipſam, omneſque adeo Muſas artium & ſcientiarum inventrices ſtudioſè colat: cum ſequiore tamen ſexu litigare fugit, & muliebris inſaniæ cõtentiones, Gratijs Muſiceq; rei odioſas horret & auerſatur. ijs ne nos ſongùm cruciemur pro virili tu curabis. ita vale vir ornatiſſime. *Oxon.* 7. *Kal. Mart.* 1627.

EPIST. 46.

Guilielmo Whitakero ICto Amico meo plurimùm colendo.

DVorum me ſuppudet (ſpectatiſſime

Whitakere) & quoties recolo, recolo autem sæpissime, rubore suffundor. primò quod te tam diuturnè multipliciterque exercitum habeant mea negotia. deindè, quod priusquam superiorum in me meritorum tuorum partem aliquam, gratiâ vel cogitanda consequi possim, novis me oppressum persentiscam. pristina illa primi tui amoris & beneficentiæ specimina (quanquam eorundem obliuisci nefas duxerim) in hunc censum non revoco: sed recentiora puto, & intra hoc quinquennium nata: per quod temporis spatium, Deus bone! quot labores & molestias forenseis? quo studio & animi contentione in meam gratiam gratis subijsti? vix credibile est quam crebras decertationes iniueris cum versutis illis triconibus, qui pecuniam haud exiguam, partem multo maximam fortunarum mearum, fraudibus suis interuertentes, me ad legum subsidia inuocanda coegerunt. mirum quantas machinas labefactaveris: quam varias molitiones cassas reddideris: neq; adhuc per istorum sutelas, & vaframenta sinuosa, litis terminum nisi à longinquo prospicere licet. tua nihilominùs tantum abest vt remittat opera, aut ardor deferveſcat, vt mihi nuperrime

perrime vix roganti, conſilio auxilioq; gratuito adeſſe non detrectaveris;& novam quandam, nec ante vnquam fando auditam controuerſiã, pro me alacriter ac prudenter accuraueris. profecto, licet homo ſim litium planè inſolens, & validè fugitans,iſtarum tamen haud magis ipſius mei cauſa me tædet, quam tui (chariſſime Whitakere) cui moleſtiam tantifariam, infrugiferamq; tam diu creaverim.verum ſic in fatis meis poſitum eſse tu probè noſti, vt plurimum ego multis debeam, præſtare nihil poſsim, vltra gratum hunc animum; quo de cum tibi perſuaſiſsimum eſse confidam, verbum non amplius addam, præter vnum hoc votum,quod ab intimo pectore depromptum credas. Seruet te tuoſque incolumes Deus, & benignitatem in me tuam abundè muneretur. *a. d. 5. Kal. Mart.1627.*

Epistola 56.

Chariſſimo meo Annibali Gamoni. S. P.

AGnoſco quod ſcribis (mĩ Annibal)

multos ante annos, auribus meis à teipſo inculcatum, ſatis mihi olim à Deo proviſum fore, fortaſſis vltra ſpes illas moderatas quas præ me ferrem, ſed ſuo tempore, & ſuo loco. Reuera Deo curæ ſumus idque ſupra noſtram omnem curam. Deo etiã amori ſumus ſupra quam nobiſmet ipſis eſſe poſſumus. ſed caue arbitreris me nunc primùm in ea meditatione verſatum fuiſſe. jamdudum eſt quod cœleſtis prouidentiæ ſpecimina non pauca, circa meipſum expertus, certus ſciui nec prædicare ceſſaui, diuinum illum oculum nobis inconniuenter aduigilare; nec ſolum id, quod optimum fuerit diu ante prævidere, verumetiam vt eo ſingula ſuaviter conducant miris modis efficere. non opus eſt inquam mihi foras oculos conijcere, aut res alienas obſeruando quid ſentiendum ſit addiſcere; ſuppetit abundè domi, quî demonſtrem, non vniuerſalem modo, ſed particularem etiam Dei benignitatem erga meipſum prouidè benignam. et quamvis breuiuſculæ *peregrinationis meæ dies, fuerint admodvm pauci, neque attigerint dies vitæ patrum meorum*; varia tamen documenta tibi ipſi nota, varia etiam nondum nota recenſere poſſem, ex quibus

Gen. 47. 9.

bus(vti tu pulchrè mones) tanquam ex mei ipſius Hiſtoria, diuinæ bonitatis methodum(ita enim appellas) comprehendere liceat, eamque huc ſemper collimaſſe liquido pernoſcere. nolo itaque me diuinæ erga me beneficentiæ adeò incogitãtem fuiſſe exiſtimes, vt niſi nunc tandem Deum me non reſpexiſſe autumem, cum ad nonnullam in Academia dignitatem munuſque publicum me provexerit. narro enim tibi quæ ſit conſtans mea fidés hac ex parte. ab ipſis incunabulis, ab ipſo ortu, imo ante ortum propitius me reſpexit Deus, rebuſque proſpexit meis cum nondum fuerim. cum regio Propheta meritò cantare, & grata mente lubens pſallere poſſum.

Tu me conceptum foviſti matris in aluo, Pſal. 71, 6.
Inde tua me duxit manus. ſed & cum eodẽ pergere adhuc placet: *Nec mihi materies te deinceps vſq; canendi Vnquam Deus mi defuit.* hoc autem arroganter á me dictum, nequaquam putet quiſquam, quod peculiari quodam intuitu me homunculum futurum reſpexiſſe Deum affirmarim. tu noſti quid olim Chriſtianiſſimus Scriptor & Epiſcoporum Magiſter(eo nomine ab aliquo An-

tiquorum vocatur Salvianus) *Ego in tantum eum curam creaturarum ſuarum habere dico, vt probem priuſquam crearet habuiſſe: &c.* quod ſi aliarum creaturarum & antequam crearentur, quanto magis hominis? *quanto vos præſtantiores eſtis volucribus? &, vos multis præſtatis paſſerculis.* dixit Salvator Chriſtus. *curat hominum vitam Deus* (inquit Lactantius) *ac ſingulorum actus animadvertit.* & Hiſtoricus ille qui primus Græcorũ juxta Pliniũ nugari deſijt, alicubi affirmat ὡς εἰσὶν ἐπιμελέμενοι πάντων σμικρῶν ἢ μειζόνων quod Deus omnia curet magna ea ſint aut parva. quam cõſonè omnia diuino eloquio! *Vnus paſſerculus non cadet in terram ſine Patre veſtro. & veſtri etiam capilli capitis omnes numerati ſunt.* præterea, ſi inter Græcorum ſapientiſſimos vnus, incomparabilem Fortunæ benignitatem rectè æſtimaverit, quòd nec bellua, nec mulier, nec Barbarus, ſed Græcus Græcis prognatus fuiſſet parentibus: quanto magis ego nõ Ethnicorum Fortunæ, ſed ſummi Dei noſtri beneficium ſummum duxerim, quod intra ſeptum veræ eccleſiæ natus fuerim, quod parentibus verè Chriſtianis, avis & majoribus pura Evangelij veritate pro captu plebeio imbutis

Saluianus. lib. 4.

Luc. 12. Math. 10.

De Ira, c. 17

Diod. Sicul.

Math. 10.

Thales Mileſius.

butis satus fuerim. verum istæc mihi cum alijs etiam communia dicis, & publicè nota. vis itaque magis priua & mihi propria recensęam? non vacat multa; paucula tamen repetere non gravabor: & si paullo attentius mẽtem aduertere, veroque judicio singula pensiculare digneris, faxo tibi luculenter pareat, vt priora semper ad posteriora cõduxerint, et ipsa vitæ meæ principia, quasi gradum quendam & aditum ad sequentia, imo ad hæc noviſsima ætatis meæ tempora (de quibùs tu locutus es) præstruere videantur. Nam dic mihi, vndè, et quò, parentum meorum id consilium, ea cupido, è septem fratribus me imprimis, imò vnicè liberaliter magis educandi, et litterarum optimarum studijs dedicandi? profectò ego providæ Numinis benignitati totum acceptum refero; eique gratias immortaleis, vel hoc præsertim nomine ago habeoque. nec minus huic optimæ maximæ Bonitati tribuo, quod virum eximiæ pietatis & doctrinæ, pueritiæ meæ preceptorem atq; institutotem nactus fuerim *Robertum Hardingum*, quẽ tu ipse (credo) nosti, vicinum tuum haud longinquum

ac

ac *in ſermone & doctrina* συνεργὸν induſtrium: huius cura & diligentia non magis bonæ literaturæ quam pietatis & ſyncerioris religionis rudimenta imbibi, & niſi inter gratiſſimas neceſſitudines eum ſemper habeam diligamque ingratus ſim oportet. deinde cum ſtudijs Academicis maturus viderer, patrique meo (licet non infimæ plebis ſortiſve deſpicatæ) præ numeroſa liberorum propagine, ac frequenti familiarium turba, necnon imprimis, egregia quadam atque impendioſa φιλοξενία, non ſuppeteret vnde me hic in Academia ſolus toleraret: eadem provida benignitas diuina, amorem juxta & ſubſidium mihi conciliauit haud parcum, (præceptore meo mediante) apud *D. Antonium Rouſæũ*, equitẽ inter *Danmonios* noſtrates clariſſimum & pietatis plenũ, de teipſo etiã olim optimè meritũ: apud tres filios eius longè humaniſſimos, quorũ liberali ope, fœlici ſtudiorũ conſortio, & intima familiaritate ita fretus ſum vt neminem me chariorem habuiſſe viderentur: denique apud *Henricum Walliſium* venerandum nunc ſenem & clari nominis fideiq; Miniſtrum: qui parentis vices erga me ſæpiuſculè ſuppleuit, ac juventuti meæ, neceſſitatibus varijs

varijs aliquando preſſæ, haud ſemel promptiſſimè ſuccurrit, hæc dum reputo, quid ni ſupremo Numini ex animo benedicam, & cum beatiſſimo illo Pſalte Iſraelitico rurſus exclamem?

O tibi quas tandem grates Deus alme rependam Pſal. 16. v. 12.
Tot donis cumulatus ego? &c.

Eorum quæ ſequebantur temporum & in ijſdem quicquid mihi contigerit tu ipſe teſtis oculatus fuiſti. meminiſti quot et quales in meam diſciplinam vnà tecum conceſſerint: quam me dilexerint, quam reveriti fuerint. meminiſti vt per eorum aliquot (Deo ſic volente) ſteterit quò diutius & conſtantius vitam coluerim Academicam. ſed & meminiſſe facile potes, cum hinc non vili conditione ad nobiliſſimum quendam adoleſcentem, nunc Comitem valdè illuſtrem, bonis literis inſtruendum evocarer, quo modo poſt vnum annum eruditiſſimus juxta & pijſſimus *Hockinſius*, me peramanter revocauerit, locum ſuum in Exonienſi ſodalitio ſponte ac liberè vacuum fecerit, meque adoptandum commendauerit. meminiſſe etiam potes quam vnanimi conſenſu; quam lubenter, ſine ambitu, ſine flagitio omni, omnes

omnes qui tunc aderant me in suum sodalitium pronis suffragijs admiserint. annon manifestò liquet diuinam hic (vti alibi) mirificè operatam fuisse prouidentiam? certè si præsentia nosses tempora, et nostrorum nunc hominum mores calleres, juratus affirmares. postindè denique, cum per aliquot annos ab Academia secessissem, nonnunquam etiam vltrà maria peregrè iuissem, et mox in famulitiũ nobilis. Herois cujusdã receptus, Aulicus pęnè factus vitæ Academicæ valedixisse viderer; memoria non ingratijs repeto, quibus medijs Deus huc me reducem fecerit, quibus occupationibus hic me distentum voluerit, quam fœliciter pedem denuò hic figere cæperim, adnuente, adprobante, et dignationibus non vnis confirmante nobilissimo Cancellario nostro: adeo vt tertiùm libeat Deum meum Psalmographi verbis alloqui

Psal. 31. v. 20.

O quanta te colentibus
Et quot redundant commoda!
Quot teste mundo prosperis
Auges tuos successibus!

Verum hæc postrema diuinæ erga me beneficentiæ indicia, vt et alia nonnulla ejus munera, publicè celebrandi pulchra dabitur

dabitur occasio. tu tantum hinc collige, quales aliquando fuerint meæ meditationes, qualisq; sit sententia; videlicet *Lactantij* verbis, nihil mihi à casu quicquã accidere, etiam vbi casus maxime appareat, sed occultum aliquid (si non apertum) semper esse diuini consilij quo res meæ singulæ dirigantur. Habes (mi Annibal) epistolã tuis literis prolixitate æqualem, vtinam artificio et materia! verum tu me nosti, et quam tenuis sit mea vtrinque facultas; quo facilius ignosciturum te mihi spero, quod multa prætermiserim in tuis literis quibus ansam latius discurrendi de humilitate, humiliatione, pœnitentia, æquanimitate ἐπιεικείᾳ, diuina cõsolatione, præbuisti; sed neque vacat, (vti dixi) et in hisce talibus tu mei nequaquam indiges. quod restat igitur tibi tuisque omnibus omnia bona desiderabilia ego meique medullitùs precamur.

Oxon. 3. Kal. Ian.
1626

FINIS.

DE GOREI WHEARI PRAELEC: HISTOR. CAMDEN.

CHARISTERIA

OXON.

Excudebat GVILIELMVS TVRNER, An. D. 1628.

Εὐχαριστία ξενίων τὸ κάλλιστον ἀνδρὶ τῷ ἔχοντι.
Helidor.

Gratitudo viro sapienti pulcherrimum munus.

Iohanni

IOHANNI PYMO, *GERMANO VIRTV-TIS ET ERVDITIONIS alumno*, Charisteria *mea D D. Consecroque.*

AT quid? aut quorsũ (inquis tu Charissime Pyme) hæc Charisteria? *nimirum obsequij, cultus, amoris, gratiarum denique ejaculamenta quædam, non ita pridem à me districta, versus eorum aliquot quos* Methodo Historicâ *meâ donare ausus sum. Atqui num* Ea *tanti (iterum quæris)*

vt tot ac talibus dono dari mereatur? aut iſthæc *talia vt cultiori huic ſæculo non indignè commendentur? neutrum horum affirmarim. meus tamen ergà hos atque alios egregios venerabileiſque viros, ſiue cultus & obſequium, ſiue amor & adfectus haud ita nihili eſſe videtur, vt vel contemneretur penitus, vel cuius memoria extemplò prorſùs periret. At (rurſus ingeris) ambitionis typhum oſtentationis vanitatem, gloriolæ appetentiam, ſapit hoc factum. imò æſtimatione rectâ ſimplicitatem amoris meram; ingenuum animi candorem. quid enim gloriolæ ſperare poſſim ab hujuſmodi ſubitarijs & leuibus (licet officioſis) nugis? quænam oſtentatio vel ambitio poterit appellari, toti*

mundo

mundo palàm prædicare; apertè, omnibus audientibus dicere, quantifariis nominibus obligatus, qualibus beneficiorum juxta & amorum vinculis fuerim obstrictus, à viris oppidò præclaris, & optime de me immerente merentibus? at hanc indutum personam, (deniq; insurgis) hos annos gerentem, atque ingruentem hanc canitiem, leuicula adeò, & ludicra, publicæ exponere censuræ, parum tutum, parum decorum; Nescio quid alijs videatur; ego quidem omnem ætatem, omnem ordinem gratum esse haudquaquam dedecere censeo. deindè quod retrò est vitæ meæ spacium, illiq; meliores anni, jamdudum præterlapsi, quibus in studijs, quove modo effluxerint, seu potiùs mihi fuerint subrep-

ti, teipſum (optime Pyme) minimè latet: nunc demùm, cum decliui hac ætate, ad humaniorum literarum Profeſſionem, Oxoniam revocari contigerit; vt juvenile aliquod exemplar Iuventuti Academicæ, meis Auditoribus præbeam; liceat mihi aliquantulum repueraſcere, & vel ſic ſaltèm otiolum meum eòque meam hanc canitiem oblectare. non deſunt inter Summates Litteratorum, quorum patrocinio vti poſſẽ, eorumque Inſcriptiones Publicas, Teſtimonia, Elogia, Symbola, Teſſeras *denique in vulgus miſſas,* Chariſteriis *meis prætexere. ſed ego populum hiſce nullus ambio, apud quem vt laudis mihi quicquam hinc procederet fruſtrà*

ſtrà ſperem: teipſum vnicè cogitavi, non ſolùm quia tu ſolebas olim

Noſtras eſſe aliquid putare nugas,

Verùm etiam quia per hos ſex ſeptem ſupra viginti annos, continuatâ quâdam beneficiorum ſerie, Me tibi adeò feceris obnoxium, vt niſi aliquâ in ſacrario Muſarum appenſâ quaſi tabellâ illud profiterer, officio deeſſe meo, & graviuſculi peccati reus mihimetipſi viderer. quis enim attentiore vnquam vigilantiâ, quis promptiore induſtriâ res proprias curavit, quàm tu olim & nunc meas? quis tam alacriter, tam frequenter, tam conſtanter neceſſitatibus ſubſidio fuerit vnquam alienis,

enis, atq; tu ſemper meis? quoties occidiſſem ego funditùs & peſſum prorſus iviſſet res mea familiaris, niſi ope & beneficentiâ tuâ ſuccurſum fuiſſet? diutinas non præteribo moleſtias ſimul & impenſas, quas tu vnà cum Iuris conſultiſſimo VVhitakero noſtro, emendatiſſimo ac ſpectatæ fidei viro, haud gravatim ſubijſtis; vt jus meum tandem obtinerem, (ſi tamen obtineam) contra verſutas profuſorum quorundam Nepotum fraudes; vtq; tenues meæ & exileis fortunæ, quas ſuis ſtrophis circumſcripſerant falſimonijſq; devoraverant redderentur incolumes. alia poſſem quamplurima narrare, quæ veſter duorum in me ſingularis amor perbenignè præſtitit, & præſtare quoti-

diè

diè ſatagit; planè quaſi me vobis nondum ſatis pigneratum haberetis: ſed parco modeſtiæ veſtræ; & vt verbo finiam, tibi (ſpectatiſſime Pyme) iſthæc Chariſteria dedicavi, vt alij pariter ſentiant omnes, tuam de me benemerentiam, plurimorum ne dicam omnium inſtar fuiſſe, meque tali nexu obſtrinxiſſe, quo nec liberari poſsim nec poſtulem: haud enim vnquam pigebit me vocari Tuum.

Vale Oxon. a.d.5. Kal. Mai.
1628.

Doctiſsimo & admodùm venerabili viro Iohanni Prideaux S. Th. Profeſs. Regio, Acad. Oxon. Procancel.

OBſervantia tui eſt (vir doctiſsime) non mei fiducia, quæ *Prælectionum* Hiſtoricorum meorum particulam hanc tibi jam ſecundò cenſendam offert: auctiora quidem hæc ſunt & fortaſſe paullò limatiora quam fuerunt antea. leuiora tamen fateor omnia, quàm quibus legendis vacare, publicis & altioribus occupato conueniat. nihilominùs animum gravioribus exhauſtum ſi libuerit hiſce talibus aliquando reficere, erit fortaſſe nonnihil quod accuratiſsimum etiam tuum mereatur calculum: induſtriam ſaltem noſtram, ſtudiumq; benè de generoſâ Iuventute merendi ſcio comprobabis; & me denique inter eos qui te ſuſpiciunt & impenſiùs colunt (ità rogo) numerabis.

10 Octob. 1625.

Illuſtriſ-

Illuſtriſſimo Domino, D° Henrico D'Anvers Baroni de Danſy.

QVi literas ipſi colant, et earum cultores ſeriò ament inter Magnates viros pauci reperiuntur: qui eas heroicâ munificentiâ, & liberalitate beneficâ ſuſtentent aut promouere nitantur longè pauciores. hos inter et illos, *A.T.* (nobiliſsime Domine) fulget, eminetq; hoc et illud magnificè præſtans. ideòque te meritiſſumò ſuſpicit, admiratur, colit, vniuerſa Literatorum cohors. *Oxonienſes* noſtri præſertim, quos largâ benignitate tuâ in tantum obſtrinxiſti. Horum è numero ego minimus licèt, devoto tamen erga *A.T.* adfectu maximis haudquicquam cedens, obſequij cultuſque mei hoc qualecunq; teſtimonium ſubmiſſè offero.
Oxon. 12. *Octob.* 1625.

Præ nobili viro D° Rich: Anderſono Equiti Aurato.

IAmdudùm aliquot annorum luſtra ſunt (hono-

(honoratiſſime Eques) quod ego tibi leviter innotui; idque ſi non exciderit ex commendatione literatiſſimi & candidiſſimi (heu! quondam tui juxta ac mei) *Edoardi Vernonis.* ab eo vſq; tempore præclaræ illæ virtutes tuæ, quæ te verè nobilem, ſupra fortunæ ſplendorem reddiderunt, me in tui admirationem rapuerunt & cultum. ità inquam ſine fuco, in tui admirationem & cultum: teſtetur doctiſſimus in Medicina Profeſſor Regius *Cleytonus* tuus, cujus mecum honorificam tui commemorationem frequens exercet ſermo. teſtetur & iſte *Præmetiorum* Hiſtoricorum meorum manipulus, quem tibi lubens offero & pariter ſubſcribo Tuus. *D. W.*
Oxon. Prid. K. Novemb. 1623.

Doctiſſimo viro Samueli Fello S. Th. Prof. Amico meo plurimùm colendo

RIdebunt abſque dubio ἰσχνεπεσιχολόγοι ſiue robuſtiloquidores noſtri ſedulitatem hanc quâ *Iuventutem Academicam* demereri ſatagimus, eamque ſequiùs interpretabuntur. tu verò (vir doctiſsime

doctissime) qui almam *Matrem* verè colis, & syncerè amas, ejusque filios probos fieri omnes & ad priscos mores formari cupis, albo comprobabis calculo. id ne temerè facias, ecce, quicquid hoc libelli est tuæ lectioni & censuræ submitto, simul rogans vt meæ erga te obseruantiæ amorisque pignus fiat, qui dici gestio Tuus. *D.W. Septemb.* 26. 1625.

Doctissimo Henrico Brigsio Geometriæ Profest. p. Savilliano.

QVotus quisq; est (mi Brigsi) qui te penitùs noverit et non intimè suspexerit? coluerit, amaverit, à multiplici doctrinâ, à pietate syncerâ, à moribus denique simpliciſsimis? ego quidem certè adfectu intentiore facio, & vtinám esset quî demonstrarem! interea tamen hoc pignus exiguum accipe, parùm fateor te tali dignum, nisi fortè amoris mei intentio momentum adjecerit, vehementer enim cupio dici

Tuus *D.W.*

Doctis-

Doctissimo atque admodùm venerabili viro Sebastiano Benefieldo S. Th. P. publico, hunc libellum honoris ergô. D.D.

IMmò quià grauissimorum virorum judicium atque approbationem in minoribus etiam rebus, consequi pulchrum est, ideò quoq; lucubratiunculas hasce nostras tibi(vir doctissime) si placeat & non sit molestum, censendas offerimus. quod si puncta etiam tua meruisse intellexerimus,conscientiæ nostræ fructus haud falsos esse aut inanes certiùs sciemus: interim non obscurè hinc liquebit te inter paucos æstimari & coli,à me qui tuus haberi studeo.

D.W.16.Octob.1625.

Venerabili viro Georgio Hakewello S: Th:D: Archidiacono Southreiensi dignissimo.

QVod olim tibi visum est mihi persuadere(doctissime juxta et colendissime *Hakewelle*)ecce jam factū. nempe *Methodum* meam retractatam, et

et vti alijs in locis haud parùm, ita eâ ex parte quâ tu cupiebas plurimùm auctā. Historiæ enim Britannicæ seriem ostendi: et valde decoram, nostrati quidem Iuventuti istam censui considerationem: præpostera enim videtur sapientia quæ forinsecùs auspicatur: domi priùs quid sit factum pernoscamus, indè foras prospectemus. sed nec solitariam emisi hanc *Methodum* in lucem, adjunxi etiam comitem, Orationem Auspicalem. prædoctæ tuæ censuræ submitto vtramque, ac vnà tibi cultum et amorem nuncio infucatum. *Oxon. 6. Kal. Novemb.* 1625.

Eruditissimo Sam. Radcliffio. S. Th. D. Æneæ-nasensis Collegij Prim. dignissimo.

LIbellum tibi offero (doctissime *Radcliffie*) cujus judicem te et censorem constituo. sed et amorem etiam et cultū indico, quem tibi lubens et meritò debui jam aliquot annorum lustra; ab eruditione tuâ politissimâ, ab ingenio eleganti, necnon à familiaritate nonnullâ quæ inter nos cum adhuc juvenes essemus intercessit: quæcunq;

quæcunque in libello cognoscenda censueris, *Iuventuti* quæ tuo sub præsidio studijs operatur commendes: quæ ignoscenda, propter amorem nostrum tegere aut excusare digneris. ita me profiteor Tuum *D. W.*

Doctissimo Rob: Pinck. S. Th. Pr. Collegij Novi Custodi dignissimo.

VIrorum bonorũ & almæ *Matris Academiæ* penitùs amantium magna raritas est; imò magna necessitas, vt nunc tempora fluunt: eò impensiùs veneratione prosequimur, quos verè tales esse novimus. tu (doctissime Pincke) horum è numero inter Primarios, publicé ac meritò æstimaris. atque idcircò secundas hasce curas meas circa Historicæ lectionis *Methodum*, tibi lubentiùs offero, partim censendas, (optimè enim judicare nosti, an hîc ego quicquam de *Iuventute Academicâ* sim meritus) partìm vt hinc tibi etiam innotescat, in quãtum, tuam illam benignitatem, tuum in *Academiam* amorem, ego quoq; suspiciam atq; amem.

Prædocto

Prædocto Guil. Smitho S.Th. Prof. Wadamenſis Collegij præfecto digniſſimo. hunc Præmetiorum Hiſtoricorum *manipulum honoris ergô, jam ſecundùm donavi.*

NEc cramben repetitam exiſtimes velim(colendiſsime *Smithe*) deguſtare placeat, & cenſuram facere: idem fortaſsis ferculum artificioſiùs paratum; condimento novo, & ſapidiore, inſtructum invenies. ſaltem amoris noſtri & cultus infucati pignus renouatum habeas,meq; firmiter

Tuum.

Ed: Lapwortho. M. D. Nat. Ph. Prof. ſecundas vigilias circa Methodum Hiſtorię, *lubens honoris cauſâ obtulit Autor.*

TAntillę opellę (inquis) tanta fiducia? aut me dignum quem repetitâ crambe tuâ perire cupias? da veniam (eruditiſsime Lapworthe, ſic ſumus ingenio: vltrò ciemus teſtes infantię noſtræ. verùm

rùm ostentatio hæc non est, noli errare: vehemens oppidò studium est, benè de Auditoribus *Historiæ* merendi: ijs secũdas hasce evigilaui vigilias: quas cum te juvabit nihil agere, sine periculo legere poteris; poteris et libere censere; id enim cupio, quia judicium tuum atque eruditionem, addo & candorem, immensùm veneror: ita sim Tuus. *D. W.*

Doctissimo Pembrokiensis Collegij Magistro, Tho: Cleytono, Regio Prof. Medico: Honoris & amoris ergô, Manipulum hunc Præmetiorum Historicorũ *lubens donavi, addo & meritò.*

NAm absque te fuisset (doctissime *Cleytone*) vix vnquam ego ad Historiæ Cathedram adspirassem. tu me Lare secreto & abdito gaudentem, injectâ quasi manu extraxisti in publicum. meministin', vt indolem mihi inerti & jacenti hortatibus tuis erexeris? vt desponденti, laudibus tuis animos feceris? vt cunctanti, & moras nectenti monitis excusseris desidiam? ego memini. alia tua de me optimè merita vt taceam,

vel

vel hinc satis habes quod mihi imputare possis: agnosco, hujusque meæ agnitionis μνημεῖον accipe opportunum, cui subscribo

Tuus *D.W.*

Iohanni Rousæo literatissimo Amico meo, Hoc quicquid est Libelluli cultus & dilectionis meæ pignus esse cupio.

VIdisti enim (mi *Rousæe*) legisti, probasti. rideant Suffeni nostri ἱπερήφανοι, magnificè de se putantes: rodant liuidi aliena detrectantes: ego elegantissimi tui Iudicij calculo acquiescam. tu mihi inter paucos eris quibus probari studeo, isti inter multos quibus placere parùm pensi habeo.

Iohanni viuiano viro integerrimo amico fidissimo

NImiũ difficile est reperiri amicũ ita vt nomẽ cluet, inquit Sarsinas ille Pistor. te tamẽ (mi Iane) ego sæpè talẽ repperi, & operâ sũ expertus: sic vt, deuinctũ me tibi plurimis nominibus fatendũ.

est. tua quidem modestia fugit agnoscere, ego verò ingratus essem nisi palàm prædicarẽ: facio igitur & faciam porrò, cujus promissi pignus esto hic libellus quem tibi lubens donavi *D.W.*

Nath. Carpentero Amico meo prædocto.

SVbactum ego tuum novi ingenium (mi *Carpentere*) doctrinæq; censum oppidò locupletem. hunc igitur *Præmetiorum* meorum *Historicorum* manipulum tibi dono, non vt aliquid indè discas (ne sis frustrà) sed vt judicium tuum explorem, calculumq; obtineam: deinde vt literarium aliquod amoris & benevolentiæ nostræ monumentum exigui licet momenti apud te reperiatur. nam certè adfectu haud vulgari sum

Tuus *D.W.*

Iohanni Speedæo Meo.

ITa dico, *Meo*: nam te etiam (eruditissime *Speedæe*) in album *meorum* referre nullus dubito: tùm quia illius familiæ, pars es, cui ego apprimè benè esse vehementer opto: tùm quia teipsum impensè

impenſè diligo: idq; mutuæ adfectionis ſecurus facio, quam candor ille tuus, humanitas, reliquiq; mores defœcati, exertè ſpondent: ex meâ igitur parte accipe pignus libellulum, & me viciſſim dehinc appellato

Tuum. *D. Wh.*

Iohanni Lèyo viro inſigniter docto amico meo perantiquo

EN tibi (mi Iane) manipulum vnum *Præmetiorum Hiſtoricorum* meorum, quem publicâ luce nuper donavi: eò adactus flagitijs quorundam ex Auditoribus meis: cupio vt antiqui illius amoris quò inter nos jam ſex annorum luſtra plus minus amauimus μνημόσυνον accipias: ità porrò me habeas verè

Tuum *D. Wh.*

Iohanni Thorowgood amico meo plurimùm colendo.

COnatus tuos, operæq; niſus, quibus in filioli mei gratiam perquàm amicè (licèt incaſſùm) defunctus es, (ſpectatiſſime *Omnibone*) prorſùs eſſe deperditos noli putare: tuâ namque ex parte,

vide quid lucratus sis: et patrem et filium tibi vadatos tenes gratiâ, æquali ac si optata nostra perfeciſſes. *Voto* enim *faventis non exitu rei animus obligatur.* nostrâ etiam ex parte eousque in bonum res cessit, vt qualem quantumque habeamus amicum experti sciamus. accipe igitur hoc scriptum & hunc Libellum, meriti tui agnitionem, meæ fiduciæ argumentum, & me dehinc æstima

Tuum.

Sym. l. 9. ep. 69.

Ad Michaelem Oldsworthum amicum singularem singulariter colendum.

INter literas humaniores quas egregiè doctus es (mi *Oldsworthe*) non dubito quin Historiam rerum gerendarum animam, impensiùs ames: indè *Methodum* meam limatiorem iam paullo & auctiorem tibi obfero; non quasi te quicquam quod minùs jamdudùm noveris docerem, caue me adeò *Suffenum* arbitreris, sed vt tuum etiã (si merear) calculum obtinerem, de quo haud parum mihi gratulabor; simul vt pignus aliquod apud te existeret quãti te æstimem

et

& colam quum insuper subscripserim

Tuus *D:W:*

Lamberto Osboldstono Scholæ Regiæ Westm: Moderatori summo.

IVuentutis *Britannicæ* pars magna, imo pars aliquota potior, & nobilior, tuæ commissa est fidei, tuæ curæ commendata (mi *Lamberte*) quam litteratâ industriâ formas & fingis, ad doctrinam ad virtutem, ad honorem. tui itaque iudicii facio, an ego eandem quoq; *Iuventutem* demerendi, rectam ingressus sim viam hisce meis laboribus: quos ecce! lubens tibi mitto etiam tanquam amoris in te mei pignus renovatum, vt me invicem amare libentius pergas.

Oxon. Octob. 10.

1625.

Iob. Bancrofto S:Th:P. Coll:Vniuers. Mag. vigilantissimo.

AMorem & cultum tibi iam multos annos à me deberi & porrò debitum iri (*Bancrofte* doctissime) lubens agnosco. nec erit huius verbi posthac negatio. nam ecce! Syngrapham ap-

pono huic libello, quem in pignus tibi dono: vtrumq; nisi tibi gratum acceptumq; putarem optimis tuis moribus (si bene te noverim) injuriam facerem. accipe, & si merear me vicissim ama

Tuum *D. W.*

I. Rawlinsono S. Th. D. *Aul. Stⁱ Edmundi Prim.*

Iuventuti Academicæ isthæc elucubravimus (vir doctissime) haudquaquam tui ordinis hominibus: amoris tamen & obseruantiæ nostræ pignus apud te aliquod reperiri discupimus: id primum, dein posteà, si ijs quibus parauimus vsui futura censuerit accuratior illa judicandi facultas quæ in te viget, tua etiam testificatio provt inciderit occasio recte à me factis quasi præmij pars magna (ita ego interpretabor) accedere poterit. interim noveris si placeat me esse

Tuum *D. W.*

Nicolao

in vsū *Iuventutis* Historiarum studiosæ contextum, sed quem à te ac tui similibus censeri velim, & si mereatur in occasione commendari, vt *Inventus Academica* lubentiùs suum amplectatur commodum.

Litteratissimo Iohanni Halesio
Ætonensis Collegij Socio
cultum & amorem nuncio.
Nec-non vtriusque Symbolū
Quale quale
Hunc libellum lubens dono.

OStentationi hîc à me quicquam dari si credis, erras, & me ignoras (eruditissime *Halesi*) neque enim in tantum mihimet ipse placeo: verum sic est: *Iuventuti Academicæ* prodesse vehementer cupio: idq; operam dum seriò & intentius navem, quid si vnā infātiam meam prodam? haud pili interest: sufficit conscientiæ satisfeciisse meæ, tui tamen facio arbitrij culpam an laudem meritus fuerim, atque hinc etiam agnoscas velim, te non inter multos amari aut æstimari à me, qui medullitùs aveo semper dici & esse

Tuus.

Accept.

Nicolao Vignierio Blæſenſi N. F. N. N. ab eruditione multiplici, ſingulari pietate politiſſimoque ingenio, per quam mihi dilecto diligendo: Secundas haſce de Methodo lectionis Hiſtoricæ curas, adfectus mei indices mitto, & vná votum:

VT poſt valetudinem grauiter ac diutulè adflictam (quâ de inaudiuimus atque indoluimus) ei tandem Deus ſolidam reddat ſanitatem & diutiſsimè conſervet. *Oxon. Prid. Ian.* 1625.

Chriſtophero Pottero Th. B. politiſſimæ & exquiſitæ eruditionis viro. Col. Reg. Socio.

AB exquiſitâ & multiplici eruditione, à ſummâ pietate, ab induſtriâ denique; & moribus clares (doctiſsime *Potere*) & quotuſquiſque eſt inter Oxonienſes noſtros qui non agnoſcet: ego quidem certè ab hiſce omnibus te tacitè admirari, amare & colere, jam ſex ſeptem anni ſunt quòd cæperim, ejuſque nunc demùm aperiendi occaſionem arripui. accipe ſi placeat pignus, hunc libellum

Accept. Freweno S. Th. D. Colleg. Magdal. præſidi digniſſimo.

INvendibili merce oportet vltrò emptorem adducere, inquit Comicus adoleſcens; neque hanc noſtram (eruditiſſime *Frewene*) quam tibi vltrò offerimus, talem eſſe pertinaciter negabimus: rogamus tamen vt accipias tanquam cultus & amoris noſtri pignus. Et ſi quando eam examinare libuerit, vt probam aut vtibilem arbitraberis, (optimè enim iudicare noſti) ita Iuventuti, quæ ſub tuo ductu & præſidio ſtudijs liberalioribus militat, in occaſione commendari ne dedigneris.

Optimo viro Rich. Aſteley Colleg. omnium Animarum Cuſtodi integerrimo.

SInt alij ſuo contenti Iudicio, & quicquid elucubrarunt fidenter emittant, mihi (cum Plinio ab eruditione nemini ſecundo) modeſtior conſtantia eſt quàm vt ſatis abſolutum putem quod à meipſo probetur : tuæ igitur lectioni (doctiſſime *Aſteleye*) & cenſuræ hoc quicquid

quicquid est libelli lubens subijcio: si tuum mereatur calculum, non dubito quin *Iuventus Academica*, cui imprimis illud adornaui ex tuâ commendatione studiosius etiam legat, & amplectatur. interim quæso tui amantem colentemq; perge amare *D. W.*

Eruditissimo Paulo Hoodo S. Th. D. Colleg. Lincolnienſis Rectori dignissimo hunc libellum adfectus & observantiæ Symbolum lubens donavi.

NEq; hoc totum quod apud te te (optime *Paule*) ex amicitiæ fiduciâ loqui nunc lubet. breviter tamen. *Iuventuti Academicæ* (cujus aliquota pars regimini est commissa tuo) isthæc à nobis elucubrata scito, ei provt videbuntur vtilia cum legeris, commendare velis, & me vna tibi ipsi

Tuum *D. W.*

Eruditissimo G. S. χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

VOtum hoc meum habe tecum (Lectissime G.) quandoquidem à nobis ad te Tuamq; abis valde opportunum. sed

ſed & amoris cultuſq; noſtri pignus habe, hunc libellum, tua quidem lectione indignum; habe tamen; occurret fortaſſis alicubi horum ſtudiorum adfectator adoleſcens quiſpiã, cui adjutorio fuerit opus & directione: hinc ei copiam ſi videbitur facias: ac ſciat, te abſentem etiam amari colique ab auctore

D. Wh.

Doctiſſimo mihique plurimùm venerando Th. Winiſio. Doct. Theol.

SVbtiliore quidem filo libellos in hoc argumento texuerunt alij multi, nos craſsiore: eòque magis vti ſperamus pro *Iuventutis* captu. breves ſumus; callem enim expeditiſſimum notare & deſignare ad Hiſtoriam ducentem animus erat. Iudicem teipſum addicimus (vir doctiſſime) cognoſce, decerne, arbitrare, num in vſum illuſtriorem *Iuventutis* quæ elucubrauimus eſſe poſſint; quin & præterea ſi placeat hinc agnoſcas, animi tui ſuſpicientis & oppidò amantis indicium ac teſtimonium; quod tibi ſubens dedit

Tuus *D.W.*

Erudi-

Eruditissimo
Rich. Zouchæo LL: Doc. &
Professori Regio,
Aulæ S^ti Albani Principali
dignissimo,
tenuem hanc circa Historias opellam
Honoris & amoris ergô
D. D.

TEnuem dico opellam (doctissime *Zouchæe*)sed addo, in re non tenui: quid enim majoris momenti, quam ad Historiarum lectionem vtiliter instituendam, *Iuventutem Academicam* probè instruere? id mihi propositum: tibi autem qui harum litterarum oppidò peritus es, arbitrandi & sententiam ferendi jus esto. atque effare quæso, num hanc meam opellam, tenuem licèt, ijs quibus elucubrauerim meritò imputare possim.

Edmundo Powello de Sanford
Armigero,
á natalibus iuxta & móribus
verè generoso,
Hunc Libellum donavi
Caussâ honoris
addo & amoris

VTrumque à me tibi peculiariter deberi

beri cenſeo (generoſiſſime *Powelle*) vel clariſſimi Camdeni gratiâ: cuius vt viuentis admirabiles virtutes peculiari adfectu ſuſpiciebas, ita iam defuncti memoriam vſq; colis, eoque nomine me etiam obligas vt ſim Tuus.

Iohanni Duttono Armigero
á ſtirpe pariter & virtute
verè Nobili,
Hunc Libellum obſequii & amoris
Symbolum D. D.

ADdo & gratæ mentis teſtimonium; neque enim mihi excidit (ſpectatiſſime *Duttone*) vel patris tui p.m. ſingularis erga me humanitas, vel tua etiam ipſius prompta benignitas. imò vtramque ſæpius mecum tacitè recordor, et nunc, ecce! poſt aliquot annorum intervalla, hoc qualicumque ſcripto, lubens agnoſco, meque palàm profiteor tibi ætatem devinctiſsimum.

D. Wh.

D°

D° Benjamini Rudierdo
Equiti Aurato
Hunc libellum solius obsequij
adfectusque testandi gratiâ
lubens offero.

QVid enim? gloriolam me hinc captare? aut leuiusculam famæ auram? apud te tantæ eruditionis, ingenij, judicij, virum? noli putare (vir ornatissime) vsqueadeo haudquaquam ineptio: *Sum memor ipse mei satis & mea friuola noui.* studiosæ vero *Iuventuti*, totam hanc operam navaui: quæ in lectione Historiarum si vsquã aliàs, vti tu optimè nosti, duci dirigiq; hujusmodi præceptorum auxilijs opus habet. sit de eo tuum judicare. tibi autem offero inquam amoris cultusq; significandi gratiâ, quem à multis annis & meritis tibi debeo, & debiturum promitto syncerâ fide, donec ero

D. W.

Præno-

Prænobili viro
D° RICHARDO ANDERSONO
Equiti aurato posteriores hasce meas
circa Methodum Historiæ *curas*
obsequij cultusque causâ
lubens offero.

35

PRiores videre, legere, imò & probare dignatus es (Eques nobilissime) cur istas verear, ne pro reijculis habeas? aut contemnas? quin potius pro innatâ humanitate accipere placeat: placeat & arbitrari, num eoùsque profecerim, vt punctum vlterius promeruisse dicar. is enim reverà verus laudis est profectus, quoties sequentibus priora vincuntur. hoc inquam tibi placeat arbitrari, & porrò hinc agnoscere, me pertinaciter Tuæ dignitatis cultorem

D:Wh.

Nobilissimo
D° NATHANIELI RICHIO
Equiti Aurato

Cultum debeo & obsequium,
Cujus pignus hunc Libellum
Submissè offero.
Indignum fateor te tali Nobilissime

Seu

Seu molem remve spectes, siue ipsum
Me Autorem denique,
Animus tamen, id primùm æstimandus
Quòd publicè prodesse satagit;
Indè,
Quod tuas admiratur virtutes,
Quodque postremò, vt inter serios
Dignitatis tuæ cultores numeretur
Autor seriò ambit

D. W.

Nobilissimo
D° ROBERTO COTTONO
Equiti Aurato &
Baronetto

Libellum hunc exiguum
cultus et obsequii testem
qualem qualem
lubens offero.
Sed & vltrà obnixè rogo
Veniam, primo fiduciæ:
Dein postea, (si fors
Tantilla legere vacaverit)
Quâcunque,
Aut nostrum defecerit judicium,
Aut error nos seduxerit,
Mensve caligauerit ipsa:
Arbitrandi peritissimus
Ignoscat, boni consulens

vt

Vt rem minùs, animum tamen
Dignitatis Cottonianæ cultorem:
Ita inquam ſupplex rogo. *D. W.*

Eruditiſſimo Natha. Brento
ICtopolitiſſimo,
Merton. Coll. Cuſtodi
longè digniſsimo.

MEa hæc eſt ſententia; nihil leve eſſe aut contemnendum quod Iuventutem Academicam & bonas literas quoquo modo adjuvare poſſit. ſpernant igitur alij noſtram hanc opellam, & nihili ducant, dummodo tu, pauciq; illi tui ſimiles, elegantioris certioriſq; judicij viri, Sc^i formulam vſurpantes, me *rectè & ordine feciſſe* dicatis. Attij enim illud apud me ſemper valet. *Paucis potius probatus quam multis forem.* tu vero (Vir clariſſime) ſi tantum tibi ſit otij abs re tuâ, videas an probari merear; mei ſaltem in Te amoris & cultus infucati hinc argumentum ſumas.

Ornatiſſimo viro
D^o EDOARDO WARDERO
Equiti Aurato
obſequium & adfectum

ex animo,
idq; meritò
debeo, & præstare cupio:
cui vt vltrà, fidem facerem,
exiguum hunc Libellum
dono misi. *Prid, non. Mart.*
1626.

Clarissimo
THOMÆ FARNABÆO
Philologo eximio
S. P. D.

IVuentutem *Academicam* (eruditissime *Farnabæe*) laboribus ac lucubrationibus suis, quisquis meliorem doctioremq; præstare nititur, idque vnicè studet, omnium meâ quidem sententiâ meretur faventiam atq; εὐφημίαν: hunc ego mihi semper, vti par est, meis dissertationibus Academicis proposui scopum; cujus pertingendi, an hoc etiam libello viam rectam fuerim ingressus tui facio judicij. teque insuper quæso, vt amoris nostri oppidò antiqui renovatum quasi pignus accipias. Vale.

Eru-

Eruditissimo
THOMÆ ALLENO *Elhamiensi*
Pastori vigilantissimo,
Fratri & amico meo, inter veteres,
eoque (vini ad instar) optimos,
renovatam hanc Methodum meam
tanquam novam antiqui amoris
tesseram lubens mitto; Eumque
Conjugemque juxta, sororem meam
charissimam,
pulcherrimaq; eorum pignora
vnà saluere
vnicè cupio siue jubeo.
a.d. 14. *Kal. Apr.* 1626.

Eruditissimo
GEORGIO HVNTLEIO
Theologo
Compatri & amico meo
spectatissimo
Historias legendi Methodum
Novis cogitationibus auctam, limatam,
amoris mei Symbolum
renovatum esse
cupio, ideoq; D.D.

14. *Kal. Apr.* 1626.

τῷ Πολυμαθεστάτῳ

THOMÆ GODWINO Th. B.

hancrenovatam Historiæ Methodum caussâ honoris & amoris offero.

Sed & aliam subesse causam
Mi *GODWINE*
Nullus inficias ibo.
Iuvari si quà defecerim,
Moneri si quà errauerim,
Doceri si quá caligauerim,
Non abnuam & peto à te,
qui harum literarum
peritissimus audis:
ita sim Tuus *D. W.*

Edoardo Rogersio ICto egregiè docto.

SCio te olim, et nunc etiam in nostro studiorum genere frequentem fuisse, (eruditissime *Rogersi*) quis enim *Iuris Consultus ita vti nomẽ possidet* esse potest qui in *Historia* peregrinus? nos haud ita pridem de Methodo legendi nonnulla elucubrauimus: quorum, si vacaverit & mediocribus non offendaris ingenijs, te Lectorem esse libenter volumus. accipe igitur Libellum; & benevolentiæ tuæ invitamentum,

vitamentum, meæ ſpecimen atq; argumentum arbitrare. *Oxon.*

S.B.Th.B.Sch.M. Rectori.

PRoba merx facile emptorem reperit tametſi in abſtruſo ſita eſt: dictum adoleſcentis Comici. huius noſtræ quidem haud tanta eſt fiducia, nihilominus eam in aperto ponimus, ejuſq; probationem & indicationem, examen & æſtimiam cuiuis libenter permittimus: nec tamen libenter cuivis: ſed tibi (chariſſime *B.*) tuiq; ſimilibus exquiſitè doctis, & verè probis ac modeſtis libentiſſime: quid reliqui cenſeant, aut quantilli æſtiment ego nullus quæro. accipe tu igitur hoc quicquid eſt mercimonij gratis; excute ſi placeat, et ſi aliquid probi, aliquid alicujus pretij inveneris, fac *Iuventus* audiat, ſciat, cui opus hoc empto eſt. atq; interim amoris mei et benevolētię pignus infucatum crede. Vale. *Oxon.*

Annibali Gammoni Meo.

LIceat nobis inter nos (mi *Annibal*) paullulùm ac modeſtè gloriari. hactenùs *Methodi* meæ haudquaquam me

pœnituit; timidè licet & verecundè institutam, & publicatam eam non negaverim. tuli enim fructum, primò conscientiæ, dum rem ipsam attentius cogitando, rectissimam expeditissimamque (absit verbo invidia) *Iuventuti* viam ad Historias legendas monstrasse me cognoverim. deinde modicum etiam fortassis famæ. quid enim aliud spondent gratulationes, præconia, puncta, à teipso, ab alijs doctissimis, gravissimisque viris palpandi adulandive nescijs? verum ego fungus si ex tam tenui vento intumescerem: noli putare; quicquid apud te in aurem garriam. quin vide, si quid vlterius *Iuventutem Academicam* demeritus fuerim. Eandem enim opellam nuperrimè retractaui, auxi, nonnihil præterea adjunxi: totum à te censeri cupio: quod vbi otiū erit facere, apertè & verè (vti soles) magis quam amicè facias velim. *Oxon.* 19. *Octob.* 1925.

FINIS.

Errata ſic corrigenda in Orationibus.

PAg. 4 lin. 9. leg. valeat. p. 6. l. 27. leg. vrbis amplæ ſatis. p. 17. l. 15 leg. deprehenſa ſit. ibid. l. 18. lege ſubierit. p. 21. l. 24. leg. elegantioris ib. l. vlt. leg. Myſta. p. 35 l. 14. leg. paſſim videatis. l. 20. leg. devinxit. p. 40. l. 4. leg. acceperit, ib. l. 5. inſpexerit. l. 6. pellegerit.

In Epiſtolis.

In Ep. Ded. p. 2. l 4. pro judiciis lege indiciis. l. 6. clanculum. p. 11. l. 4. hiſtoricam. l. penult. humiliter. p. 14. l. 23. præcelſe. & 24. honorande. p. 15. l. 17. Comes p. 28. l. 15. fruar. p. 40. l. 4. incuria.

Alia fortaſſè reſtant hiſce non minora ſiue à meo calamo ſiue ab ipſis operis commiſſa; quibus ignoſcat Lector quiſquis alibi vicißim ſibi velit ignoſci.

C 25327
79630
SL

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION